

ut sunt pauperes et mendici; qui furis, rapinis alisque sceleribus incumbunt, ut suam inopiam levent, fiantque divites et opulenti.

Summa hæc gnomo significat Christus divites et eos qui bonis terrenis inhiant, a celo excludendos; pauperes vero, qui cœlestia ambiunt, in celo fore primos. Respicit enim ad id quod dixit adolescenti diviti, vers. 21: « Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in celo. » Et, vice versa, ad illud vers. 23: « Dives difficile intrabit in regnum colorum. » Et an illud Petri, vers. 27: « Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te, quid ergo erit nobis? » Sic Christus in celo est primus, quia in terra fuit nobilissimus, juxta illud Isaiæ, LIII: « Vidimus eum, et non erat aspectus; et desideravimus eum, despectum et novissimum virorum. » Vide ibi dicta. Proxima Christo est B. Virgo, quia post Christum inter homines fuit novissima; sequuntur Apostoli, de quibus ait Paulus: « Puto quod Deus nos novissimos ostendit, tanquam morti destinatos; quia spectaculum facti sumus mundo, angelis et hominibus. » Et mox: « Tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsa usque adhuc. » I Cor. iv, 9 et 13. Sic de S. Martino, cujus hodie festum celebramus, canit Ecclesia: « Martinus Abrahæ sinu lætæ excipitur, Martinus pauper et humilis cœlum dives ingreditur, hymnis celestibus honoratur. » Visa est cuidam viro sancto sedes sublimis et gloriosa in celo, ac miranti ejusnam illa foret, audivit: « Hæc sedes

humili servatur Francisco. » Ita habet ejus Vita.

Denique multi Patres et Doctores Scholastici, quos citabo cap. seq., vers. 1, rō novissimi et primi præcipue accipiunt in ipsa vita æterna, q. d. Divites, qui in hac vita honestam sed commodam egere vitam, servantes duntaxat præcepta Dei (qualis fuit adolescens ille, vers. 21), in celo erunt novissimi; pauperes vero, qui præceptis adjungere consilia Evangelicæ, ac in paupertate evangelizando secuti sunt Christum, hi in celo erunt primi: de quo plura cap. sequenti. Amplior et plenior, omniaque, quæ in sequenti parabola dicuntur, adæquans erit sensus, si rō novissimi utroque modo accipias, scilicet ut significet tam excludendos a celo, quam novissimos in celo. Nam Apostoli, qui quasi primi judicabunt duodecim tribus Israël, quasi novissimos, multos ex iis, utpole justos, adjudicabunt celo, plures tamen, utpole injustos, inferno. Porro hanc gnomen: « Multi erunt primi novissimi, et novissimi primi, » Christus explicat persequentem parabolam operatorum ad vineam excolendam conductorum, capite sequenti. Hæc ergo gnomo est parabolæ, id est titulus et argumentum illius parabolæ, cui subnectitur ista postparabolæ, sive scopus et applicatio parabolæ, cap. xx, vers. 16: « Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi: multi enim sunt vocati, pauci vero electi. » Unde liquet postparabolam respondere ex æquo parabolæ, imo unam idemque cum illa esse: « electi » ergo vocantur *primi*, « vocati » vero duntaxat, nec electi, vocantur *novissimi*.

CAPUT VIGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, proponit Christus parabolam operatorum conductorum ad colendam vineam, e quibus novissimi vocati sunt primi in mercede et premio. *Secundo*, vers. 16, prædicit suam passionem. *Tertio*, vers. 20, Jacobo et Joanni ambientibus primas sedes in regno Christi proponit calicem passionis, docetque majorem esse eum qui cupit esse minor. *Quarto*, vers. 30, duos cavos illuminat.

1. Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. 2. Conventionem autem factam cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam. 3. Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos, 4. et dixit illis: Ite et vos in vineam meam, et quod justum fuerit, dabo vobis. 5. Illi autem abierunt. Iterum autem exiit circa sextam, et novam horam, et fecit similiter. 6. Circa undecimam vero exiit, et invenit alios stantes, et dicit illis: Quid hic statis tota die otiosi? 7. Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite et vos in vineam meam. 8. Cum sero autem factum esset, dicit dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios, et redde illis mercedem, incipiens a novissimis usque ad primos. 9. Cum venissent ergo qui circa undecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios. 10. Venientes autem a primis, arbitrati sunt quod plus essent accepturi: acceperunt autem et ipsi singulos dena-

rios. 11. Et accipientes murmurabant adversus patremfamilias, 12. dicentes: Illi novissimi una hora fecerunt, et pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei et æstus. 13. At ille respondens uni eorum, dixit: Amice, non facio tibi injuriam: nonne ex denario convenisti mecum? 14. Tolle quod tuum est, et vade; volo autem et huic novissimo dare sicut et tibi. 15. Aut non licet mihi quod volo, facere? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? 16. Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi: multi enim sunt vocati, pauci vero electi. 17. Et ascendens Jesus Hierosolimam, assumpsit duodecim discipulos secretè, et ait illis: 18. Ecce ascendimus Hierosolimam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum et Scribis, et condemnabunt eum morte, 19. et tradent eum Gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum, et tertia die resurget. 20. Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans et petens aliquid ab eo. 21. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram in regno tuo. 22. Respondens autem ait: Quis scit quid petatis. Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Dicit ei: Possumus. 23. Ait illis: Calicem quidem meum bibetis; sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo. 24. Et audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus. 25. Jesus autem vocavit eos ad se, et ait: Scitis quia principes gentium dominantur eorum; et qui majores sunt, potestatem exercent in eos. 26. Non ita erit inter vos: sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister; 27. et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus. 28. Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis. 29. Et egredientibus illis ab Jericho, secuta est eum turba multa. 30. Et ecce duo cæci sedentes secus viam, audierunt quia Jesus transiret; et clamaverunt, dicens: Domine, miserere nostri, fili David. 31. Turba autem increpabat eos, ut tacerent. At illi magis clamabant, dicentes: Domine, miserere nostri, fili David. 32. Et stetit Jesus, et vocavit eos, et ait: Quid vultis ut faciam vobis? 33. Dicunt illi: Domine, ut aperiantur oculi nostri. 34. Misertus autem eorum Jesus, tetigit oculos eorum. Et confestim viderunt, et secuti sunt eum.

Vers. 1. Parabolam patrifamilias condemnat. **Notandum** est.

1. SIMILE EST REGNUM CÆLORUM HOMINI PATRIFAMILIAS, QUI EXIIT PRIMO MANE CONDOCERE OPERARIOS IN VINEAM SUAM. — « Simile est, » similiter agitur in regno colorum, perinde ac si herus conduceret operarios in vineam suam; nam aliqui præcipue et proprie regnum cœlorum non ipsi patrifamilias, sed ejus domui et familie simile est. Vide Canonem 28. Ut totam hanc parabolam paucis genuine et clare explicem:

Notandum est scopum illius esse ut per eam probet Christus ultimam propositionem capituli præcedentis: « Multi erunt novissimi primi, et primi novissimi; » Christus enim hanc propositionem immediate præmittit parabolæ, quasi parabolam, sive titulum parabolæ; ac rursum eandem ipsi subjungit quasi postparabolam hic, vers. 16. Unde quidam codices Latini sic habent: « Simile est enim. » Scopus ergo Christi hic est ostendere ex Dei gratia, et sine ulla injustitia, vel cujuspiam injuria fore, ut qui hic primas tenere visi sunt, in die novissimo postremas teneant, et qui hic postremas, ibi primas: hoc est ut Apostoli et abjecti fidei sequaces Christi in regno cœlorum Scribis et Phariseis præferantur, ac Gentiles credentes in Christum præponantur Judæis, qui primo tempore Abrahæ, Jacob et Moysi vocati fuerunt a Domino ut primas in regno Dei, id est in Ecclesia tam militante in terris, quam triumphante in cœlis, obtinerent; sive filios novi Testamenti, presertim Apostolos in quodectum sedibus sesuorum in die judicii antefendos esse filios veteris Testamenti, qui sub umbris legalium sacrificiorum, ceremoniarum et figurarum laboriosissime serviebant; quia scilicet hi legi et operibus præfati, falso ex illis hoc Dei regnum sibi arrogabant, ideoque Christus Christum fidei fidem repellabant, unde merito a regno hoc excluderunt; illi vero Christo ejusque fidei et gratiæ, quam longe Judæis usque acceperunt, humillime se subdiderunt, et serventerque illi cooperati sunt, ideoque Judæis prælati, et præ illis electi sunt ad gratiam, æque ac ad gloriam. Hinc esse scopum patet. *Primo*, ex parabolâ, vers. 16: « Multi enim sunt vocati, pauci

vero electi. » *Secundo*, id ipsum patet ex Luca, qui, cap. xiii, vers. 29 et 30, primos fore novissimos, et novissimos fore primos sic explicat, quod Gentiles cœlum ingredientur, Judæi vero ab eo excludentur, eo quod illi Christum receperint, hi eum repulerint. *Tertio*, quia aliqui non potest explicari murmur primorum, vers. 11, in cœlis enim inter Beatos nullum est murmur, sed illud est in inferno inter damnatos; nec etiam dura hinc Domini increpatio, vers. 15: « An oculus tuus nequam, » id est invidiosus, et parcus, « quia ego bonus, » id est beneficus et liberalis, « sum? » Ita censent Jansenius, Barradius, Hesselius et Franciscus Lucas hic, ac Ludovicus Molina et Gabriel Vasquez, *1 part.*, *Quæst.* XII, art. 6. Igitur quæcumque in parabola hac ad scopum jam dictum pertinent, annotanda et explicanda sunt; quæ vero ad eum non pertinent, in explicatione parabole omittenda sunt, adduntur enim duntaxat et emblemata ipsius parabole, juxta Canon. 29. Per vineam ergo significatur Ecclesia, per forum mundus; per primo, hora prima, tertia et sexta vocatos, significatur Judæi jam in avis suis Abraham, Jacob et Mose vocati ad Dei fidem et cultum, ut eum, in Ecclesia Dei bene operando, auceant et propugnent; per novissimos vero, hora undecima vocatos, significatur Gentiles ultimo per Christum et Apostolos vocati ad Christum et Ecclesiam; per vesperam, significatur dies extremi judicii, in quo singulis assignabitur et adjudicabitur sua merces, vel jam in hac vita eis data (ut data est Judæis), vel tum danda, uti danda est Gentilibus in cœlo; per denarium, significatur integra merces diurna, sive merces laboris, qua quis per totum diem in vinea laboravit. Denarius enim, teste Plinio, Budæo et aliis, appendebat drachmam Italiam, id est regalem Hispanicum, sive julium Italicum: unde denarius illo ævo erat statum diurni laboris pretium. Dicitur denarius, quod appenderet decem baiocos Romanos. Porro, denarius omnibus tam primo, quam ultimo vocatis datur idem in genere, seu in confuso, id est datur omnibus et singulis integra diurni laboris merces, in genere par et eadem, sed in specie et in particulari valde dispar et diversa. Denarius enim erat nummus communis, qui nullas sub se continebat nummorum species et formas. Denarius enim alius erat æreus, alius argenteus, alius aureus. Præsertim alius erat simplex, alius duplex, alius triplex, alius quadruplex; perinde ac jam sunt regales Hispanici. Dispares enim hic datam fuisse operariis mercedem liquet ex eo quod novissimi, qui hora undecima venerunt, prælati sunt cæteris, qui hora prima, tertia et sexta venerunt; quia, licet hi diutius labore fuerint, illi tamen majori gratia et diligentia fore utique laborarunt: quare uti primos in ferre ore potius quam in labore, sic et in mercede superarunt.

Dices: Ergo hic majori labori minor datur

merces. Respondeo: Verum id est, sed non majori merito; huic enim semper major debetur daturque merces. Majus autem meritum facit major non labor, sed gratia et habitus cooperatio. Majorem autem gratiam habere Apostoli quam Scribæ, Christiani quam Judæi, ac magis quam illi gratie cooperati sunt; ideoque major denarius, id est major merces eis promissa est. Nam Judæis, per tot mundi sætates, diu, opereose et moleste laborantibus in Dei cultu et Ecclesia, denarius a Deo promissus erat merces temporalis, scilicet abundantia rerum temporalium, frumenti, olei et vini; Gentilibus vero Christianis unica et ultima mundi ætate laborantibus, promissus est a Christo denarius, id est merces spiritualis longe nobilior et omnem laborem superans, scilicet vita æterna: Judæi ergo acceperunt denarium, id est drachmam æris vel argenti; Christiani vero auri; aliqui enim, si denarius eandem omnino significaret mercedem, repugnet parabolæ et postparabolæ, in quibus asseritur quod « erunt novissimi primi, et primi novissimi. » Hoc enim significat Christianos et Apostolos preferendos Judæis in præmio cœlesti; imo quod ipsi judicabunt et condemnabunt Judæos. Respicit enim Christus ad id quod dixit cap. præced., vers. 28: « Sedebitis vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. » Unde Judæi, qui in hac vita erant primi et ditissimi, in die judicii apparebunt novissimi et a cœlo remotissimi; Gentiles vero Christiani in hac vita abjecti et pauperes, in die judicii erunt primi in regno cœlorum; ideoque Judæi contra Gentiles Christianos murmurabant, quod eos olim viles idololatrias, tunc sibi in fide, gratia et gloria prælatos videbant: sicut et in hac vita Scribæ assidue murmurabant contra Christum et Apostolos, quod ipsi in Evangelio, id est in prædicatione, fide, gratia et promissione regni cœlestis, Judæis, id est populo a Deo olim electo, præferrent Gentiles olim ob idola et scelera infames.

Ut ergo verbo dicam, tota parabola non significatur aliud, quam Gentiles credentes in Christum preferendos esse Judæis Mosei et legi pertinaciter adhærentibus, ideoque Christum spernentibus; preferendos, inquam, tam in gratia et Ecclesia militante, quam in gloria et Ecclesia triumphante; ideoque Judæos contra Christum et Christianos murmuratos, quod cum vocatione, labore, synagoga et dignitate populi fidelis essent potiores et antiquiores, jam tamen in his et cæteris Gentilibus postponantur. Et hoc est quod docet passim Paulus, præsertim tota Epistola ad Romanos, ac Christus ipse: « Publicani, inquit, et meretrices præcedunt vos in regno Dei, » *Matth.* xxi, 31. Et: « Cum videritis Abraham et Jacob, et omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras. » Et: « Venient ab Oriente, et Occidente, et Aquilone, et Austro (ex quatuor plagis orbis et Gentium), et

recumbent in regno Dei; » ac statim subjungit id quo tota hæc parabola refertur: Et ecce sunt novissimi (puta Gentiles), qui erunt primi (in cœlo); et sunt primi (puta Judæi in hac vita), qui in die judicii erunt novissimi. Reliqua, quæ in hac parabola adduntur, emblemata sunt addita ad elegantiam parabole, juxta Canonem 29.

Juxta hunc sensum primi sunt salvandi, novissimi sunt damnandi. Alio vero sensu, quem nunc subjungam, primi futuri novissimi sunt illi, qui primo vocati sunt, sed ultimi ad præmium perveniunt; novissimi vero futuri primi sunt illi, qui ultimo vocati, primi fiunt in præmio. Unde de his vulgo a Patribus et Doctoribus Scholasticis hæc parabola aliter tractatur et explicatur, quasi Christus dicere velit, tam primos, id est primo vocatos, quam novissimos, id est ultimo vocatos ad fidem et gratiam, puta tam Judæos, quam Christianos Deo servientes, eandem vitam æternam accepturos (dicuntur enim, vel potius subintelliguntur ex antecede, et sequent., tam novissimi quam primi fore in ipsa vita æterna, sive in cœlo), nec obfore cuiquam, quod in fine mundi vel ætatis suæ sit vocatus, aut venerit ad vineam Ecclesiae vel anime suæ excolendam; imo eum cæteris, qui diu ante vocati sunt aut venerunt, fore præferendum in gloria cœlesti, si gratiæ majori sibi a Deo datæ majori labore, studio et fervore cooperetur. Ita explicat S. Hieronymus, Chrysostomus, S. Augustinus, S. Thomas, Maldonatus, Gregorius de Valentia, *1 part.*, *Q. XII*, art. 6; Bellarminus, lib. III *De Justificat.*, cap. xvi; Suarez fuse, *1 part.*, lib. II *De Attrib. Dei negat.*, cap. xx. Estque hæc applicatio valde probabilis, illique valde favet *primo*, quod sic melius explicatur quomodo idem denarius detur omnibus operariis. Passim enim Patres per denarium accipiunt vitam æternam. Ita S. Hieronymus, Chrysostomus, Anselmus hic, et S. Augustinus, serm. 59 *De Verbis Domini*; Tertullianus, *De Monogam.*, cap. xiii; Nazianzenus, *orat.* 40; Gregorius, hom. 16 *in Ezech.*; Valentia, Bellarminus et Suarez jam citati.

Dices: Quomodo in denario hoc parces sunt primi et novissimi, cum primi majores sint in felicitate et gloria vite æternæ, quam novissimi? Respondetur eundem denarium notare eandem beatitudinem genericam et objectivam, scilicet eandem divinam essentialiam, quæ est objectum beatitudinis et gloria Beatorum; hæc enim una et eadem est, quæ omnes Beatos sui ostensione beat; sed tamen visio et fructus ejus est dispar pro disparitate meritorum; qui enim majori gratia et labore Deo servierunt, uti fecerunt novissime vocati, hi clarior et perfectior Deum videbunt, ideoque magis ejus amore cæterisque doctibus fruuntur, eruntque magis beati, quam illi qui minori gratia et labore Deo servierunt. Ita S. Gregorius, lib. IV *Moral.*, cap. xxxi, ac juxta aliam editionem, xliii; S. Augustinus, *De S. Virgin.*, cap. xxvi; S. Hieronymus hic; S. Thomas, *1 part.*

Quæst. XII, art. 6; Valentia et alii. « Omnibus, ait S. Augustinus, datur vita æterna, sed eorum mansiones multe sunt, honoratur enim alius alio clarior. » Hæc accedit Bellarminus loco jam citato; nam denarius ille significat, inquit, « æqualitatem æternitatis, non glorie et excellentiæ. » Pulchre S. Augustinus, lib. VII *in Lucam*, exponens caput decimum quintum: « *Æqualiter*, inquit, dignaris solvere mercedem vitæ, non glorie. Itaque datur omnibus idem denarius, quoniam Sancti omnes sine fine regnabunt, quamvis non omnes eadem eminentia regnabunt, Quæmodum commune stellis omnibus est perpetuo fulgere in cœlo, tametsi alia aliis clarior micent. » Et Glossa Interlinearis eundem denarium interpretatur, eandem æternitatem beatam, quæ omnibus Beatis eadem datur: omnes enim in æternum erunt beati, de eoque certi sunt. Rursus huic sententiæ favent illa quæ dixit Christus, cap. xix, vers. 21 et seq., quorum occasione et intuitu hæc parabola subtextuit: ibi enim juveni civiti dicenti se præcepta Dei servasse, addit, consultiusque pauperlatem Evangelicam, dicens: « Si vis perfectus esse, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo; » quam, cum juvenis tristis abnueret, intercessit Petrus, dicens: « Ecce nos reliquimus omnia, etc.: quid ergo erit nobis? » Cui Christus: « Sedebitis vos super thronos duodecim judicantes duodecim tribus Israel, » *q. d. Vos, o Apostoli, preferemini illi adolescenti, et similibus, qui tantum servant præcepta Dei, quia vos insuper servatis consilia Evangelica, et secuti estis me in evangelizando: quare, licet illi in hoc sæculo videantur esse primi, tamen in cœlo erunt novissimi; vos vero, qui in hoc sæculo videmini novissimi, in cœlo eritis primi. Multi enim et Judæis ante Christum quavis ætate timerunt Deum ejusque præcepta servare, et ideo salvati sunt. Jam, ut juxta hanc sensum singula applicemus, per diem accipite mundi cursum et tempus; per horas varias, accipite diversas mundi ætates, ut prima hora sit prima ætas mundi, ab Adam usque ad Noe, secunda a Noe ad Abraham, tertia ab Abraham ad Mosen, sexta a Mose ad Christum, undecima hora sit a Christo usque ad finem mundi. Ita S. Hilarius, S. Gregorius et Theophylactus. Aut die est ætas vite ejusque hominis, cujus hora prima est infantia; tertia est libertas; sexta, ætas virilis; nona, senilis; undecima, decrepita. Ita S. Hieronymus, S. Basilius in *Reg. brevior.*, interrog. 924, et S. Fulgentius, *epist.* 7. Porro, non tantum tota vita ejusque, sed totum hoc sæculum præsens, quod per tot millia annorum ad finem decurrit, unus duntaxat dies dicitur: « Magnus quidem quantum ad nos, modicus autem quantum ad Dei vitam, » ait Origenes, ejusque æternitatem. Per murmur, cum Theophylactus, Salmerone, Suarez, Vasquez et aliis, accipite admirationem Sanctorum, cum scilicet illi qui minores*

Denarius idem datur, sed in confuso.

Prob. primo.

Magna merces facit magis laborantibus, sed gratia.

erunt in gloria, et tamen plus hic laborarunt, uti fuere Judaei, mirabuntur alios, qui hic minus laboraverunt, sed majori excelluerunt gratia et spiritu, sibi in gloria anteponi: ut hic Christus injiciat aculeum diligentiae, et ei qui cito venit, ne torpore suo aliis postponatur, et ei qui tarde venit, ut fervore tarditatem compenset, ac primos aequet vel superet, studendo perfectioni et consiliis Evangelicis, ut suavis Christus cap. praecedent., vers. 21. Denique plenus et adaequatus erit sensus, si secundum hunc sensum conjugas cum primo, et utrumque confles in unum: nam, ut dixi in fine cap. praeced., « novissimi » hic utroque modo accipi possunt, scilicet, ut significant novissimos tam extra caelum, ideoque damnandos, quam in ipso caelo, ideoque salvandos; prioribus competit primus sensus, in hisque plane explicat eorum murmur; posterioribus competit secundus sensus, in hisque plane explicat denarium, quomodo scilicet idem denarius, nimirum eadem vita aeterna omnibus detur, tam novissimis quam primis; quare secundus sensus supplet primum, et vicissim primum supplet id quod deest secundo: junge ergo utrumque, et omnia adaequabis.

Tropologia: vinea est anima excolenda; moraliter ergo hinc discere nos vocatos, ut simus operarii in vinea, id est anima et Ecclesia Dei. S. Bernardus quotidie se interrogabat: « Bernarde, dic quare hic? » Vocatus es non ad otium, sed ad laborem, ut excolas vineam, id est animam tuam virtutibus, et Ecclesiam sanctis exemplis. Et S. Petrus, II, epist. 1, 40: « Magis sagittae, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciat. » Porro, cultores hujus vineae non aestimantur tempore et antiquitate laboris, sed diligentia, fervore et spiritu. Hi enim primis preferuntur. Quocirca S. Hieronymus, epist. 13 ad Paulinum: « Noli, ait, fidem pensare temporibus, nec me idcirco meliorem putes, quod prior in exercitu Christi ceperim militare; Paulus Apostolus de persecutore mutatus, novissimus in ordine, primus in meritis est; quia extremus licet, plus omnibus laboravit: subitus calor longum vincit teporem. » Idem, epist. 34 ad Julianum: « Felix, ait, et omni dignus beatitudine, quem senectus Christo occupat servientia, quem extrema dies Salvatori invenit militantem, qui non confunditur cum loquetur inimicis suis in porta. » Vere Sapiens, cap. IV: « Consummatus, ait, in brevi, explevit tempora multa. » Ita S. Xaverius undecim annis quanta fecit in hunc! Quisque ergo operarius est vineae (id est animae) suae et vineae proximi. Hinc sponsa ait, Cant. 1: « Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi. » Essentia animae est vinea, plantata in terra hujus corporis, cujus facultates ordinatae sunt vitis, cujus vinum sunt opera charitatis; vitis alliganda sunt palo crucis, cujus pedis favam facimus, dum mortem

instare, et foveam sepulturae cognoscimus. Servanda est haec vinea ab apro exterminatore de sylvā, Psal. LXXIX, id est de vitio obscuroe voluptatis, quae omnia bona exterminat; et a singulari fero, id est a vitio superbiae, quae singularem hominem facit; a vulpe astuta adulationis, a lupo voracitatis, a cane detractoris. Rogandus Dominus, ut hinc vineae suae mittat pluviam doctrinae suae et calorem charitatis suae, et stercorea, id est memoriam mortis Filii sui et SS. Martyrum. Revirescit anima tanquam vinea per flores et folia, id est per sancta desideria et sermonem edificantem; producit lacrymas compunctionis, emit odorem virtutis, juxta illud Cant. II: « Vineae florentes dederunt odorem suum; » cedit maturas uvae bonorum operum. Ita Salmeron. Rursus quae facit vinitor in vinea, haec faciat fidelis in anima sua. Porro, « Sicut mercenarius, ait S. Chrysostomus, totum diem domini opus impendit, unam autem horam circa suum cibum; sic et nos omne tempus vitae nostrae debemus impendere circa gloriam Dei, modicum autem partem circa usus nostros terrenos. Et sicut mercenarius ea die, quia opus non fecerit, erubescit intrare in domum et petere panem; quomodo tu non confunderis intrare in Ecclesiam, et stare ante conspectum Dei, quando nihil boni in conspectu Dei gessisti? » Jam sigillatim versus singulos breviter percurramus.

2. CONVENTIONE AUTEM FACTA CUM OPERARIIS EX VERA. DENARIO DIURNO, MISIT EOS IN VINIAM SUAM. — Denarius argenteus erat Julius Romanus, sive Regalis Hispanicus, qui Romae valet decem balcos, in Belgio quinque stuferos.

Obiiciebat olim Jovinianus, et nuper Calvinus justos omnes esse pares in praemio, id est in denario vitae aeternae; ergo et pares esse in merito: ergo omnia opera bona esse paria. Verum jam respondi omnes in vita aeterna pariter et abstracte esse pares, quia omnes sunt beati, certique de sua beatitudine ejusque aeternitate, quod scilicet vivit in omni felicitate vitam aeternam: sed in hoc ipso erunt gradus intensioris et remissionis, ut alii magis, alii minus vident Deum; ideoque illi magis, hi minus sint beati et gloriosi; quocirca illi in caelo vocantur et revera erunt primi, hi novissimi.

3. ET EGRESSUS CIRCA HORAM TERTIAM, VIDIT ALIOS STANTES IN FORO OTIOSOS. — Romani, ait Rhodiginus, lib. XII, cap. IX, indeque Judaei jam Romanis per Pompeium subjecti, dividebant uti noctem, sic et diem, in duodecim horas, per quatuor partes quas nocti in castris vigiliis (eo quod initio earum vigiles matarent) vocabant. Prima hora, sive vigilia, incipit ab ortu solis; tertia, tribus horis ab ortu; sexta, sex horis ab eodem, puta in meridie; nona, tribus horis post meridiem; duodecima, in vespera et solis occasu.

Porro, in hieme haec horae erant breviores per diem, longiores per noctem, quia in hieme dies sunt breviores, noctes vero longiores: vice versa, in aestate haec horae erant longiores per diem, breviores vero per noctem, quia tunc dies longiores, noctes vero breviores.

4. ET DIXIT ILLIS: ITE ET VOS IN VINIAM MEAM, ET QUOD JUSTUM FUERIT, DABO VOBIS: ILLI AUTEM ABIERUNT. — Illis promittit non denarium, sed « quod justum fuerit, » q. d. Denarius erat merces diurni laboris, dabaturque laborantibus ab hora prima, id est a solis ortu usque ad occasum. Hi autem hora tertia vocati tribus horis serius venerunt ad laborandum in vinea: quare non totum denarium, sed tres quartas duntaxat denarii, puta septem balcos cum medio, sive tres stuferos Belgicos, cum tribus quadrantibus, merebantur; sed liberalior fuit herus, qui eis vespere integrum denarium persolvit.

Nota: « justum » significat meritum bonorum operum, quod quasi ex justitia meretur mercedem, quam Deus cuique operi ex justitia distributiva promittit, reppendit et distribuit.

5. ITERUM AUTEM EXIIT CIRCA SEXTAM ET NONAM HORAM, ET FECIT SIMILITER. — Notatur sollicitudo heri quaerentis operarios ad excolendam vineam, quae notat sollicitudinem Dei, volentis ut homines omnes et singuli sint operarii in vinea suae animae et Ecclesiae, ut utraque omni fructum generare respiciat.

6. CIRCA UNDECIMAM VERO EXIIT, ET INVENIT ALIOS STANTES (Graeci et Syrus addunt, otiosos), ET DIXIT ILLIS: QUID HIC STATIS TOTA DIE OTIOSI? — Nota: « tota, » quia undecima hora est ultima hora diei; dies enim finitur hora duodecima, ut dixi vers. 3. Quare haec hora vocati per unam horam duntaxat laborarunt in vinea. Porro, vocati hora prima, tertia, sexta, nona, notant Judaeos et caeteros priores; vocati vero undecima, notant Christianos, uti dixi. Unde Origenes hora prima ait vocatum Adamum; hora undecima, Paulum.

7. DICUNT EI: QUA SERVO NOS CONDIXIT. — S. Chrysostomus ait hanc esse futilem pigrorum excusationem: quia, inquit, Deus omnes vocat a pueritia ad virtutem, puta ad sui et Ecclesiae suae obsequium. Hinc, vers. 4, « exit primo mane. » Sic et S. Gregorius, et Glossa Interlinearis. Porro conductio, ait Chrysostomus, est promissio vitae aeternae; Gentes vero nec Deum, nec Dei promissia sciebant: unde dicunt se non fuisse conductos, id est vocatos per predicatores, licet per legem et humen naturae essent vocati.

DIXIT ILLIS: ITE ET VOS IN VINIAM MEAM. — His ex rigore temporis et laboris duodecima tantum denarii pars debebatur, utpote una, id est duodecima hora diei in vinea duntaxat laborantibus: sed Deus liberalis integrum, imo praestantissimum vitae aeternae denarium eis retribuit.

8. CUM SERO AUTEM FACTUM ESSET, DIXIT DOMINUS VINAE PROCURATORI SUO: VOCA OPERARIOS, ET REDDE

ILLIS MERCEDEM, INCIPIENTES A NOVISSIMIS USQUE PRIMOS. — « Sero » notat fidem mundi et dia. judicii, quo Christianus Judex singulis pro merito mercedem retribuet, ilique per se: unde « procurator » est emblemata parabola. Christus enim non eget procuratore.

Symbolice tamen Origenes per procuratorem accipit SS. Angelos, ut S. Michaellem, per quem Christum particularia judicium animarum in morte ejusque exercere, vel animae intinmare, nonnulli autumant, ut dixi Daniel. XII, 4. Remigius vero per procuratorem accipit Christum, qui, qua homo, procurator est Dei Patris, ejusque nomine iudicabit vivos et mortuos. S. Iraneus autem, lib. IV Contra haer., cap. xc, sub finem, per procuratorem accipit Spiritum Sanctum, quia hic dispensat uti gratias et dona, sic et gloriam et praemia. Ita et Glossa.

MERCEDEM. — Quia merces respondet praecisa non labori, sed merito; meritum autem facit gratia, et liberum arbitrium gratia excitatum, ipsaque gratia per gradum cooperans: qui autem undecima hora venerunt, puta Gentes per Apostolos ad Christum vocatae, plus habuerunt gratiae et charitatis, magisque gratiae cooperatae sunt ideoque Judaeos prius vocatos, et distans in vita Dei laborantes in praemio antecesserunt, primae in caelo obtinente. Disce hic praxin facile augendi merita et gloriam esse, si quis crebre exerceat actus charitatis, eosque ardentia et intentos, imo si omnia opera externa faciat ex charitate et amore Dei. Sic enim plus merebitur quam rustici et milites, qui magnos subeunt labores, ac plus quam Religiosi, qui arduas subeunt penitentias, si ex majore charitate quam ipsi, sua opera licet in se minus difficilia exercent.

INCIPIENTES A NOVISSIMIS, — qui minori tempore, sed majore fervore et spiritu laborarunt. Vnde dicta vers. 4. Quibus addit: S. Chrysostomus: « Nimia misericordia, ait, ordinem non respicit. » Auctor lib. De Spiritu et Lettera apud S. Augustinum, cap. XXIV: « Velut priores, ait, reperiuntur hi qui minus dilati sunt. » S. Gregorius: « Meritumque ante remunerantur qui ultima aetate vocati sunt, prius enim de corpore exeunt ad regnum, quam qui in pueritia vocati. » Glossa: « A novissimis incipit, dum prius latroneum quam Petrum in paradysum introduxit. »

9. CUM VENISSENT INTERDUCTI QUI CIRCA UNDECIMAM HORAM VENERANT, ACCEPERUNT SINGULOS DENARIOS. — Graeco *ἀπὸ δναρίου*, id est secundum denarium, hoc est singuli denarium, ut vertit Syrus, Arabicus, Vatablus et alii: *ἀπὸ* enim significat aequam proportionem, sive aequalem distributionem mercedis. Porro, denarius hic in genere erat idem et par, sed in specie diversus et dispar, ut dixi vers. 1, et hoc videtur significare *ἀπὸ δναρίου*, id est juxta denarium, scilicet sibi competentem et debitum; q. d. Hora undecima venientes, id est Apostoli et Christiani, ultima

mundi tate vocati, acceperunt denarium meliorem et pretiosorem, suo labori et merito congruentem et debitum: quia enim ipsi majori gratia, fervore et spiritu laborarunt in Ecclesia Dei, hinc meliorem denarium, id est majorem gloriam acceperunt, ceterisque Judæis prius vocatis et plus laborantibus prelati sunt.

Dices: Prius vocati murmurarunt; eo quod eundem denarium cum posterius vocatis acceperunt, unde ait: «Pares eos nobis fecisti;» ergo idem denarius plane fuit datus his et illis: si enim alius et major fuisset denarius, dixissent: «Superiores eos nobis fecisti;» ac longo magis murmurasset.

Respondeo: Vespere in tenebris solet distribui operarum post operas diurna merces, puta denarius; itaque tum non satis dignoscere potuerunt sequentes, quis et qualis esset denarius, qui precedentibus daretur, sed tantum in genere audiverunt a procuratore singulis dici: Accipite vestrum denarium; aut si eum viderunt, non satis in tenebris discreverunt, quod ipsi acceperunt denarium, id est drachmam in cupro; priores vero eandem acceperunt in auro: cuprum enim, præsertim aurichaleum, rubore et fulgore simile est auro, uti videre est Romæ in medallis æreis adeo splendidis, ut aurea videantur: unde putarunt eundem in specie illis dari denarium, qui sibi dabatur, idque ægre tulerunt, quod scilicet qui pauciori tempore, imo una hora duntaxat, laborasset, æquarentur sibi in mercede, qui toto die laborarant. Quæ omnia parabolice significant invidiam Judæorum erga Gentes; illi enim ægerime tulerunt Gentes sibi æquari in Dei cultu, Ecclesia, Christianismo, gratia et gloria sui Messie, sive Christi; putabant enim hæc omnia sibi solis proprie et ex asse deberi, reliquis vero Gentibus, per quamdam gratuitam tantum dispensationem, eo quod Messias ipsis quasi solis videretur a Deo per Prophetas promissus, ac consequenter omnia ejus dona et gratie. Unde illa lis et rixæ Judæorum contra S. Petrum predicantem Evangelium S. Cornelio gentili, *Actor. x*; ac magis ardens et continua contra S. Paulum, utpote doctorem Gentium, ut patet ex Actis Apostolorum, et passim ex Epistolis S. Pauli.

Si ergo quaeras, cur Christus non dixit expresse quod hora undecima venientes, majorem denarium, id est majorem gloriam reciperent, quam venientes hora prima, sexta, nona, id est, cur majorem Apostoli et Christiani gloriam acceperint, quam Scribæ et Judæi?

Respondeo, quia Christus hic id non agebat, sed tantum intendebat Judæis evellere opinionem et arrogantiam primatus in regno Dei jam dictam. Unde contra eam docet quod novissimi erunt primi, et primi novissimi, id est quod Apostoli erunt primi in celo, Scribæ vero et Judæi erunt ultimi. Vult enim confirmare suum promissum Apostolis factum, scilicet: «Sedebitis vos super

sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.» Sic enim Apostoli erunt primi in celo, utpote futuri judices cæterorum; Judæi vero erunt ultimi, utpote ab eis judicandi. Per hoc tamen implicite satis ostendit, quod Apostoli in æterna vita plus felicitatis et glorie consequentur, quam Scribæ et Pharisei: qui enim sunt primores et judices in celo, hi pariter majores sunt in felicitate et gloria. Ita Suarez et Maldonatus.

Moraliter S. Chrysostomus: «Undecima hora vocantur, ait, qui in senectute vocantur. Composita est ergo hæc parabola, ut eos avidiores faceret, qui in ultima senectute convertuntur, ne existimarent se minus aliquid habituros.» Hæc Chrysostomus. Scopus enim hujus parabolæ est, ut per illam ostendat Christus in præmio cælesti non haberi rationem antiquitatis temporis, nec diuturnitatis laboris, sed majoris gratiæ et fervoris; ideoque præponi eos qui parvo tempore, sed fervide laborarunt, iis qui longo, sed tepide.

11. ET ACCIPIENTES MURMURABANT ADVERSUS PATREM-FAMILIAS.

12. DICENTES: HI NOVISSIMI UNA HORA FECERUNT, ET PARES ILLOS NOBIS FECISTI, QUI PORTAVIMUS PONDUS DIEI ET ESTUS. — Quid fuerit hoc murmur, explicui vers. 1. Quibus adde: «Per murmur, inquit S. Chrysostomus, significatur mercedis et gloriæ magnitudo, quæ tanta est in Apostolis, ut ceteri ex Judæis electi et beati eis invidenter et murmurarent, si invidia et murmur in Beatos cadere posset.» Aliter S. Gregorius: «Quia patres, ait, ante Christum non sunt ducti ad regnum, hoc ipsum murmurasse est.» Denique S. Chrysostomus censet hoc murmur esse emblemata duntaxat parabolæ, ideoque non applicandum rei per illam significatæ. Insuper Glossa: «Non omnes, inquit, murmurabant, sed quidam; mali scilicet, qui bonum quod inceperant, ad finem non perduxerunt, ideoque præmio privati murmurant.» Et S. Hieronymus: «Judæi, inquit, Gentilibus invident, et in Evangelii torquentur gratia.»

PORTAVIMUS PONDUS DIEI ET ESTUS. — Id est diu sub onere legis sudavimus, et longiora carnis tentamenta sustinimus. Ad hæc Scribæ et Pharisei perique jejunabant his in sabbato, decimas omnium dabant Deo, populum docebant, regerant, corrigebant, circuibant mare et aridam, ut facerent unum proselytum. Habuerunt ergo laborum pondus, sed sæpe inutile.

13. AT ILLE RESPONDENS UNI EORUM, DIXIT: AMICE, NON FACIO TIBI INIURIAM: NONNE EX DENARIO CONVENISTI MECUM?

14. TOLLE QUOD TUUM EST, ET VADE: VOLO AUTEM ET HUC NOVISSIMO DARE SICUT ET TIBI.

15. AUT NON LICET MIHI QUOD VOLO, FACERE? AN OCULUS TUUS NEQUAM EST, QUIA EGO BONUS SUM? — Præter dicta vers. 1, adde: Græca et Syrus nervosius habent: An non licet mihi in meis facere quod volo? «In meis,» scilicet rebus, id est «de

meo,» uti interpretatur S. Augustinus, serm. 80 *De Verbis Domini*. Arabicus, *de bonis meis*. «Oculus nequam,» est oculus lividus et invidus. Sensus est, *q. d.* Cum hora undecima venientibus feci gratiam, dando eis denarium, tibi non feci injuriam: «Tolle ergo quod tuum est, et vade.» Poterat herus respondere murmuranti: Hora undecima venientes majore gratia et fervore laborarunt, plusque una hora effecerunt, quam tu toto die, ideoque plus meriti sunt, ac primi meliorem denarium acceperunt. Sed non decessit herum ex æquo, et quasi ex justitia cum servo contendere, quin potius ejus murmur retundere per obtentum summi sui domini, liberalitatis et gratiæ.

Objicies: S. Prosper videtur hic tollere omne meritum, et totum præmium assignare Dei gratiæ. Sic enim ait, lib. II *De Vocat. Gentium*, cap. v, vel juxta aliam editionem, cap. xvii: «Ideo in parabolis, de his qui laborant in vinea, legimus dari idem præmium eandemque mercedem omnibus operariis, sive multum, sive parum laboraverint, ut illi, qui multo labore sudarunt, nec amplius quam novissimi acceperunt, intelligant donum se gratiæ, non operum accepisse mercedem.» Respondet Bellarminus, lib. V *De Justificat.*, cap. vi: «Considerat S. Prosper vitam æternam, ut est una et eadem, sive ut est æqualis in omnibus Beatis. Neque enim alius longius, alius brevius, sed omnes in æternum vivunt. Dicit autem hæc vitam æternam donum esse gratiæ, non operum mercedem, eo sensu, quo dixit Augustinus: Dona sua coronat Deus, non merita tua, videlicet non est in vita æterna merces operum, quæ sint nobis a nobis, sed quæ sunt nobis a gratia Dei.» Atque ut hoc intelligeretur, ideo voluit Deus vitam æternam tribuere iis qui multum, et iis qui parum laboraverant, ne qui multum laborant, de suis viribus extollantur. Unde Glossa Interlinearis sic explicat, *q. d.* Gratia et misericordia est, quod vobis, o Judæi, cœqualis et cœcorporalis fiat populus gentilis.

TOLLE QUOD TUUM EST (tuum denarium), ET VADE. — *q. d.* Tolle, o Phariseæ et Judæe, tuas opes, delicias et honores, quos tibi in hac vita dedi, et quos præ vita æterna amavisti; iis ergo contentus esto, et alii. Præter dicta vers. 1, Remigius sic explicat: «Tolle quod tuum est, et vade,» id est recipere mercedem tuam, et vade in gloriam.

VOLO AUTEM ET HUC NOVISSIMO (id est gentili populo) DARE (secundum meritum) SICUT ET TIBI. — Origenes vero sic: «Forstian autem Ade dicit: Amice, non facio tibi injuriam: nonne ex denario convenisti mecum? tolle quod tuum est, et vade. Tuum est salus, quod est denarius: volo autem et huc novissimo dare, sicut et tibi.» Non incredibile potest quis arbitrari hunc novissimum esse Apostolum Paulum, qui una hora operatus est, et similiter omnes qui ante eum fuerunt. Alii sic explicant: «Tolle» damnationem tibi ob murmur debitam, et vade in gehennam.

16. SIC ERUNT NOVISSIMI PRIMI, ET PRIMI NOVISSIMI: MULTI ENIM SUNT VOCATI, PAUCI VERO ELECTI. — Juxta primum parabolæ sensum, quem assignavi vers. 1, novissimi futuri in celo primi, sunt electi; primi vero futuri in celo novissimi, sunt vocati duntaxat, qui vocationem suam non sunt secuti, vel eam deseruerunt, ideoque sunt damnati. Hi multi sunt, si cum electis et salvandis, qui pauci sunt, conferantur, *Matthæi vii, 14*; pauci enim gratia et vocationi Dei cooperantur, in eaque usque ad mortem perseverant. Juxta secundum vero sensum, quem dedi vers. 1, posteriori gnome: «Multi enim sunt vocati, pauci vero electi,» diversa est a prima: «Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi;» ac difficile est eas inter se connectere. Maldonatus sic connectit: «Ex speciali sententia, inquit, qua dixit primos fore novissimos, et novissimos primos, nunc generaliter concludit non omnes, qui vocati sunt, mercedem accepturos, quia plerique vocati venire nolunt;» sicut, cap. precedenti, vers. 23, ex occasione unius adolescentis, qui divitis suis inherens, consilium paupertatis sequi noluerit, generalem intulit sententiam de omnibus divitibus, et non jam de consiliorum, sed de preceptorum observatione conclusit, difficile esse divitem in regnum celorum intrare. Pressius et nervosius Suarez censet esse argumentum non ab æquivalenti, sed a fortiori, *q. d.* Non miremini primos fore novissimos, et novissimos primos, cum multi sint vocati, pauci vero electi, ideoque ceteri omnes damnandi, quod magis mirandum et horrendum est: nam si multi sint vocati, qui non salvantur, quid mirum quod multi sint vocati, qui non sint in præmio primi, etiamsi aliqui consequantur.

Porro «multi,» id est omnes, «sunt vocati» ad vitam æternam; dicit tamen «multi,» quia omnes sunt multi, et quia eos opponit paucis, qui erunt electi. «Vive ergo cum paucis, ait Cassianus, ut cum paucis eligi et inveniri merearis in celo.» Notum est illud: «Loquendum ut multi, sapiendum (imo vivendum) ut pauci.» Denique nonnulli sic exponunt: «Multi,» id est omnes, «sunt vocati» ad gratiam et ad observationem mandatorum, sed «pauci electi» ad præmium æternam et observationem consiliorum Evangelicorum.

Huc accedunt Scholastici illi, qui ponunt duos ordines predestinatorum et electorum: unum communem eorum, in quo prævisione meritum electi sunt ad gloriam; alterum eorum, qui ad æternam gloriam electi sunt ante prævisionem meriti, quos proinde vocant eximie predestinatos. Illosque censent hic notari, cum dicitur: «Pauci vero electi.» Tales enim pauci sunt, scilicet B. Virgo, Apostoli et pauci alii; priores vero longe plures sunt, ideoque de illis dicit «multi sunt vocati.» Ita Gabriel in I, *distinet. 41, Quæst. 1, art. 2; Ockam, ibidem, art. 1; Catharinus, lib. I De Evæst.*, cap.

vers. 16.
cap. 11.
cap. 11.
cap. 11.
cap. 11.

Cathar.
distinet.
de du.
plur.
rum or.
dine.

ult., et lib. III, cap. 1 et 11, et alii nonnulli. Catharinum acriter impugnant D. Soto in cap. IX ad Rom.; Antonius Cordubensis, lib. XI, Quæst. LVI, et Camerarius in Dial. Cathol., cap. x; sed æquo acriter Catharinum perstringunt, uti ostendit Gabriel Vasquez, 1^æ part., disp. xc, cap. III. Peccat tamen Catharinus primo, quod taxet S. Augustinum; secundo quod illos solos, qui ante merita ex mera Dei gratia electi sunt, vocet predestinatos, et ad eos ardet illud Pauli ad Rom. VIII: « Quos præscivit, et predestinavit conformes fieri imaginis Filii sui; » tertio, quod iisdem electis imponat necessitatem perseverandi in gratia, ita ut ab ea libere excidere non possint. Nam S. Paulus, qui ex his fuit, si quis alius, de se dicit: « Castigo corpus meum, et in servitum redigo, non forte cum aliis predicaverim, ipse reprobus efficiar, » 1 Cor. IX, poterat ergo ipse a gratia excidere et reprobari.

Denique Arabicus vertit: *quam multi sunt vocati, et pauci electi*; que verba sunt Christi quasi exclamantis, admirantis et miserentis multitudinem vocatorum et paucitatem electorum, ac consequenter multitudinem reproborum et damnandorum.

Hic finiuntur acta anni tertii prædicationis Christi; nam paulo post hanc parabolam operatorum, Christus a morte suscitavit Lazarum, que suscitatio facta est in martio, post quam eodem mense et anno (qui fuit Christi 34 et ultimus) Christus crucifixus est et mortuus. Igitur sequentia omnia que narrat Mattheus usque ad finem Evangelii, contigerunt hoc martio, paulo ante passionem Christi, vel paulo post eam, uti contigit Christi resurrectio et ascensio in cælum. Ita Jansenius, Resuscitatus Lucas et alii. Vide Chronotaxin.

17. ET ASCENDENS JESUS HIÉROSOLYMAM, ASSUMPSIT DEODECIM DISCIPULOS SECRETO, ET AIT ILLIS. — Hic fuit ultimus Christi ascensus, id est ultima profectio Hierosolyman, quam narrat Mattheus hic, ac Lucas, cap. XVIII, 31; Marcus, cap. X, 32, et Joannes, XI, 34 et seq. Ex Joanne liquet, quod Christus, suscitato Lazaro, fugiens invidiam et odia Pharisæorum, secesserit in civitatem Ephrem, ex qua imminente jam Paschata, quo occisus est a Judæis, juxta legem ascendit Hierosolyman. Fuit ergo hic Christi ascensus paulo ante mortem ejus, imo ascendit ut crucem et mortem sibi in Jerusalem destinatam et paratam, pro redemptione mundi ex decreto Patris capesseret, et ultro quasi invaderet. Vide Chronotaxin.

DUODECIM DISCIPULOS. — Ergo etiam Judam, ait Origenes, et forte hinc Judas accepit occasionem prodendi Christum, ex eo quod Christus prædiceret sibi moriendum esse in Jerusalem. Certus enim erat Christum verum dicere, ac proinde prodicionem ejus ex animo sibi successuram sperabat, nec quicquam post mortem Christi ab eo sibi timendum, avaritia excoecatus existimabat.

18. ECCE ASCENDENS HIÉROSOLYMAM, ET PREDICANS HOMINIBUS TRADITUR PRINCIPIBUS SACERDOTUM, ET CONDEMNABUNT EUM MORTE.

ASCENDENS. — Id est proficiscimur et revera ascendimus, quia Jerusalem, ac præsertim ejus arx et templum erat in monte Sion. Rursum « ascendimus » ad crucem Hierosolyman subeundam, juxta illud: « Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum, » Joan. XII, 32. Rursum dicit: « Ecce ascendimus, » quia hic est sermo constantie, q. d. ait S. Chrysostomus: « Vide, quia voluntarie vado ad mortem. Cum ergo videritis me in cruce pendentem, ne aestimetis me hominem esse tantum: nam etsi posse mori hominis est, velle tamen mori hominis non est. »

Denique « ascendimus, » quasi triumphatur in Capitolio Solymæ et Calvarie: in cruce enim Christus triumphavit de morte, peccato, diabolo et inferno, uti docet Apostolus, Coloss. II, 15.

FILIUS HOMINIS TRADITUR PRINCIPIBUS SACERDOTUM. — « Tradidit enim, ait Rabanus, Judas Dominum Judæis, et ipsi tradiderunt eum Gentibus, id est Pilato, et potestati Romanorum. Ideo autem Dominus in mundo noluit prosperari, sed gravia pati, ut ostenderet nobis, qui per delectationem cecidimus, eum qua amaritudine redire debeamus. Unde sequitur: « ad illudendum, et flagellandum, et cruciendum. »

ET CONDEMNABUNT EUM MORTE. — « Omnis salus hominum, ait Chrysostomus, in Christi morte posita est; nec est aliquid propter quod magis Deo gratias agere debeamus, quam propter mortem ipsius. Ideo duodecim Apostolis in secreto mortis sue annuntiavit mysterium, quia semper pretiosior thesaurus in melioribus vasis includitur. » Et rursum: « Tribulatio enim cum supervenerit expectantibus nobis, levior invenitur quam esset futura, si repentina venisset. »

AD ILLUDENDUM, ET FLAGELLANDUM, ET CRUCIFIGENDUM. — Tres enim hæc sunt primarie passionis Christi partes: passus enim est illusiones ignominiosissimas, flagella atrocissima et crucem acerbissimam.

ET TERTIA DIE RESURGET. — Hoc est mel resurrexerit, quo conditur felicitas. Unde S. Augustinus, lib. XVIII De Civit., quem citat S. Thomas in Catena: « Passione, ait, ostendit (Christus) quid sustinere pro veritate: resurrectione, quid sperare in Trinitate debeamus: unde dicit: « Et tertia die resurget. » Et S. Chrysostomus: « Dicitur est quidem et ad multos, ut cum trista-

Græc. informis amoris.

viderint, resurrectionem expectarent. » Unde subdit: « Et tertia die resurget. » Causam dat S. Augustinus, loco jam citato: dicens: « Una enim mors, scilicet Salvatoris, secuturum corpus, duabus mortibus nostris salutem fuit: scilicet anime et corporis, et una ejus resurrectio duas nobis resurrectiones præstitit. » Hæc ex Chrysostomo et Augustino citat S. Thomas in Catena.

Moraliter: Christus suis suam passionem sepe refricat, ut suum amorem, quem in ea summum eis exhibuit, commendet, ut eum vicissim redamnet, ac amorem amoris, sanguinem sanguini, mortem morti rependat. Crux enim Christi est fornax et incendiium amoris. Quocirca S. Bernardus, serm. De Quadragesimo debito: « Primo, inquit, Christo Jesu debes omnem vitam tuam, quia ipse vitam suam posuit pro tua, et cruciatus amarus sustinuit, ne tu perpetuos sustineres. » Addit deinde multa in hac sententiam, que sic ad extremum concludit omnia: « Cum ergo ei donaveris quiddam sum, quiddam possum, nonne istud est sicut est stella ad solem, gutta ad fluvium, lapis ad montem, gramum ad acervum? » Idem S. Bernardus, tract. De Diligendo Deo: « Si totum, ait, me debeo pro me facto, quid addam jam pro re facta, et relecto hoc modo? nec enim tam facile relectus quam factus; nam qui semel et tantum dicendo fecit, id reficiendo profecto et dixit multa, et gessit mira, et pertulit dura, nec tantum dura, sed et indigna. In primo opere me mihi dedit, in secundo se; et tibi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo et redditus, me pro me debeo, et bis debeo. Quid Deo retribuam pro se? nam etiam mille millies me rependere possem, quid sum ego ad Deum? »

Pro Christo ergo probra, calumnias, tormenta, crucis et ignis sustinere non recusemus, sed amemus et ambiamus, ut illusiones illusionibus, flagella flagellis, crucem cruci rependamus, imo reddamus. Ipsius enim est vita nostra, et omne quod sumus; ipse enim emit et redemit nos, non auro, sed divino sanguinis sui pretio.

Elegantior et pie, sed vere S. Leo, serm. 8 De Passione: « Crux tua (o Christe), ait, omnium fons benedictionum, omnium est causa gratiarum, per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte. »

20. TUNC ACCESSIT AD EUM MATER FILIORUM ZEBEDÆI CUM FILIIS SUIS, ADORANS ET PETENS ALIQUID AB EO. — « Tunc, » scilicet cum audissent a Christo instare ipsi mortem, et post mortem resurrectionem, post quam expectabant regnum Christi gloriosum: unde preoccupant, petuntque ut ipsi præ cæteris Apostolis in eo primas obtineant. Ita S. Hieronymus, Beda, Euthymius.

MATER FILIORUM ZEBEDÆI. — Nomine Salome. Ita enim nominat Marcus, cap. XV, 40, illam quam Mattheus, cap. XXVII, 56, vocat matrem filiorum Zebedæi. Hæc enim uxor Zebedæi ex eo genuit Jacobum et Joannem, quos Christus sibi adscri-

et Apostolos creavit. « Adorans, » hoc est, incitnando se reverentiam et exhibens.

ET PETENS. — Dices: Marcus, cap. X, 36, ait non matrem, sed filios ipsos, id petisse a Christo. Respondeo: Matris petitio ex filiorum petitione processit. Cum enim ipsi verecundarentur primas petere a Christo, subornarunt matrem ut ipsa id peteret. Quare filii suum locuti per os matris, et forte ejus petitioni suam quoque adjunxerunt. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus, S. Gregorius, hom. 27 in Evangel., et S. Augustinus, lib. II De Consensu Evang., cap. LXIV. Aliter Maldonatus, qui censet matrem suo instinctu et motu proprio id petisse a Christo; dicit tamen a Marco filios id ipsum postulasse, quia mater non pro se, sed pro filiis id postulabat. Favet S. Hilarius et S. Ambrosius, de quo mox.

Atque, — in genere et in confuso, scilicet dicentes, ut habet Marcus: « Magister, volumus ut quodcumque petierimus facias nobis. » Timebant enim, ne si suam primas ambitionem exprimerent, Christus eam abnueret illico et refutaret. Volunt ergo prius universali petitione concedendi ea que petierint, ligare Christum, ut deinde cum particularim illam exprimerent, Christus eam negare non possit. Hic est mos feminarum dum suos femineos appetitus, quos ardentem concupiscunt, hæc arte impetrare satagunt. Sic Bethsabee, III Reg. II, 20, petitura a Salomone filio suo Abisag dari uxorem Adonie, præmisit dicens: « Petitionem unam parvulam ego deprecor a te, ne confundas faciem meam. » Annuit Salomon; sed mox ut ipsa illam expressit, abnuat, dicens: « Postula et ei regnum. » Astute enim Adonias postulabat Abisag, quo uxor fuerat Davidis, dari sibi uxorem, ut per eam quasi reginam invaderet regnum, seque regem faceret excluso Salomone.

21. QUI DIXIT EI: QUID VIS? — Prædenter Christus generalem petitionem abnuat, et vult ut particularim eam exprimat, nec ineptum vel se indignum quid petat, quod eam facturam prescibeat, ut nos idem facere doceat. Memorabile est quod de S. Pulcheria scribit Nicephorus, et ex eo Baronius, anno Christi 446, sub finem; scilicet illam, ut periculosam Theodosii imperatoris fratris sui oscitantiam, qua passim libellis supplicibus etiam non lectis subscribat, falso joco castigaret, portorisse Theodosio libellum supplicem, in quo assererat Eudoxiam, uxorem Theodosii, a se emplam, dummodo ipse emptionem prebaret; subscripsit libello non lecto, more suo, Theodosius: mox illa Eudoxiam ad se vocavit, et diutius detinuit. Revoante uxorem Theodosio, quæ emptionem Pulcheria illam a se emptam, ipsamque emptionem probasse, ac simul ei submisit libellum hæc de re ab eo subscriptum: quem legens Theodosius erubuit, et suam nimiam subscribendi facilitatem damnavit.

AIT ILLI: DIC (præcipe, statue ordina,

decerne.) UT SEDEANT HI DUO FILII MEI, UNUS AD DEXTERAM TUAM, ET UNUS AD SINISTRAM, IN REGNO Tuo. — Occasionem hujus petitionis sagaciter hanc dat S. Chrysostomus: « Volebant, inquit, ut ego conjicij, quoniam super duodecim sedes sessuos discipulos audierunt, primatum hujus concessus imperare, et preponi quidem se ceteris preterquam Petro sciebant, Petrum vero sibi preferri formidantes, dicere ausi sunt: Die ut unus a dextris, alter a sinistris sedeat, ita urgebant dicentes: « Die, » ut quasi primores regni tui utrumque tuum latus, utramque tuam aurem, et locumque te totum occupent, nec quis ad te nisi per eos accedere, aut aliquid a te petere possit, uti nonnulli hodie (et omni ævo) aures et animos regum principumque occupant, ut nil nisi per eos ab illis obtineri possit. Hi regum sunt reges, imo pedagogi. Tritum est illud Caroli Martelli, avi Caroli Magni, qui oblato sibi Francie regno respondit: « Nolle se regem esse, sed velle regibus imperare. » Discite hic quam audax, caeca et insatiabilis sit ambitio, et ambitiosa petitio; ad quam duos hosce Apostolos incitavit, quod ipsi se ceteris Apostolis a Christo antepositos vidissent in transfiguratione, quæ erat quasi inchoatio regni Christi, *Matth. XVII, 1*, æque ac in suscitatione filie Jaira, *Luce VIII, 31* (1).

Sed excusanda est mater, quod jure cognationis a Christo cognato suo, id postulat pro filiis, quos ut se, imo plusquam se diligebat. Ita S. Hieronymus: « Postulat, inquit, mater errore muliebris et pietatis affectu, nesciens quid peteret. » Et plenus S. Ambrosius, lib. V *De Fide*, cap. II: « Considerabat (Christus), inquit, matris dilectionem, quæ filiorum mercede grandævam solabatur senectam, et desideris licet fessa maternis, charissimorum pignorum tolerabat absentiam. Considerate etiam feminam, hoc est sexum fragiliorem, quem Dominus propria nondum confirmaverat passione. Considerate, inquam, Evæ illius primæ mulieris heredem transfusa in omnes immoderate cupiditatis successione labentem, quam Dominus adhuc proprio sanguine non redemerat, nondum inmolit affectibus omnium, immodici contra fas honoris appetentiam, suo Christus errore diluerat. Hæreditario igitur muliebri delinquebat errore. »

Simili ratione filios ejus excusat S. Chrysostomus: « Non turbetur, ait, quisquam, si adeo imperfectos dicimus Apostolos fuisse: nondum enim mysterium crucis erant consummatum, nondum gratia Spiritus in corda ipsorum infusa. Quare si studia virtutis ipsorum discere cupis, quales

(1) In supremo Judæorum concilio, infra primariam sedem, quæ erat *rex Nasi*, seu principis subedini, duæ alii omnibus eminebant, quarum una qui insidebat *Pater* aut *Senior* appellabatur, qui altera, *Sapientis*. Hujusmodi sedes in regno jamjam a Christo condendo a duobus natis occupari petebat Salome. — Vide *Sepp*, opere citato, t. I, p. 583.

post datam gratiam Spiritus fuerint considera, et videbis omnem ab illis turbationem animi fuisse superatam. Hac enim de causa eorum modo imperfecto revelatur, ut aperte percipere possis, quales subito per gratiam effecti fuerint. »

22. RESPONDENS AUTEM JESUS, DIXIT: « NESCIIS QUID PETATIS. — Græcè *οὐκ οἶσθε*, id est *petitis*. Vers. 22. Marc. 10. 38 et 39. Ecce hic Christus respondet, non matri, sed filiis, quia sciebat filios in matre et per matrem locutos. « Nescitis quid petatis, » quia scilicet nescitis primo, quale sit regnum meum, scilicet spirituale et cæleste, non carnale et terrenum, in quo sit pompa regalis throni, assessorum, principum, famulorum, etc., uti vos putatis; secundo, quia petitis triumphum ante victoriam: « Regnum enim cælorum vim patitur, et violenti rapiunt illud, » *Matth. XI*: ita Auctor *Imperfecti*; tertio, quia vos existimatis, regnum hoc petentibus jure sanguinis dari, cum non detur nisi merentibus et certantibus. Hoc pariter exemplo Christi respondeant Episcopi et principes suis amicis, servis, filiis et feminis importunis, dum ab eis petunt præbendas, dignitates et officia, ad quæ minus sunt apti: « Nescitis quid petatis. » Præbendæ et officia mea, non sunt mea, ut scilicet ex libidine ea dare possim cognatis, vel servis, quia sic volo: dispensator eorum sum, non dominus; Deus rigidam dispensationis a me rationem reposcet, an dignis ea contulerim. Gravis enim est injuria Christi, Ecclesie, reipublicæ et dignorum, ac multorum malorum causa, si officia et beneficia ob consanguinitatem vel amicitiam dentur indignis, vel minus dignis. Agrippina, Scripturae in notis innotabile mater Neronis, ait Cornelius Tacitus, ambiens imperium Neroni, consuluit hac de re Chæloides, sive astrologos; responderunt illi: « Imperabit Nero, sed matrem occidet; » tum illa: « Occidat, ait, dum imperet. » Quam vesana ambitio! sed luit eam mater; nam a Nerone occisa est. Sic ambitiosi indigni ambientes beneficia, sibi ambiunt veneficia, quia illa eis causa sunt damnationis et gehennæ.

Et quid, queso, est cognatio, nisi externa relatio, quod filii vel nepotis caro decisa sit ex tua? Quid ad me quod tunica mea ex eodem pannu decisa sit, ex quo tua?

Rome, teste Livio, tempus era honoris positum, sed post templum Virtutis, ut in illud lionoris non pateret ingressus nisi per templum Virtutis, ut docerent nemini patere aditum ad honores nisi per virtutes, quas solas prisca Romanispectabant; ideoque imperium tam amplum, dives et magnificentum obtinuerunt, donec per posticum edificato ibidem profano ambitionis et largitionis fano, multi per illud ad honores egresserunt; itaque seditionibus rempublicam æque ac seipsos perdididerunt.

NESCIIS QUID PETATIS. — Arabicus: *quid vultis, quid petitis?* q. d. Nescitis quid velitis et petatis ad litteram, quia put

nerat sanitate et vitam. » Per catachresin Christus passionem suam vocat calicem: causam hanc dat S. Chrysostomus, Euthymius et Theophylactus, quod Christus tam libenter et avide passionem subierit, ac si sitiens vini calicem epotasset. Verum quia Christus ait, « potestis bibere, » non autem, desideratis bibere, hinc melius hanc generatim accipias. Pro quo nota, calicem passim in Scriptura, æque ac apud profanos, significare cuiusque hominis sortem, sine bonam, sine malam, quæ ei a Deo deoritur et immittitur, ac quasi propinat. Ducta est hæc metaphora a veteri convivantium ritu, quo sympostarcha sive convivii præfectus vinum pro suo arbitrio et prudentia temperabat, ac cuique suam portionem, quam exhaurire deberet, statabat; ut ostendi *Ecl. xxxii*, vers. 1. Forte etiam, ait Maldonatus, alludit ad calicem veneni, qui nonnullis ab mortem damatis dabatur, uti datus est Socrati ab Atheniensibus, eo quod unum Deum colendum diceret, pluribus diis exclusis. Præclara S. Cyprianus, lib. IV, *epist. 68 ad Tharit*, per calicem accipiens martyrium: « Gravior, ait, et ferocior pugna nunc imminet (quæ S. Cyprianus ex Dei revelatione didicerat instare persecutionem Valeriani et Galli Imperatorum, in qua ipse martyrii lauream obtinuit), ad quam vate robusta parere se debent milites Christi, considerantes idcirco se quotidie calicem (quia tunc communicabant quotidie, idque sub utraque specie panis et vini) sanguinis Christi bibere, ut possint et ipsi propter Christum sanguinem fundere. » Quocirca S. Chrysostomus solenter notat: « Respice, inquit, qualiter ipso interrogationis modo et hortatur et allicit. Non enim dixit: Potestine vestrum effundere sanguinem? Sed: Quomodo pacto potestis bibere calicem? Deinde alliciens inquit: Quem ego bibiturus sum, ut communicatione laborum cum ipso promissiones redderentur. » Hinc S. Joannes pingi solet cum calice; et quia ipse calicem veneni absque damno hausit, uti testatur S. Isidorus, *De Patribus noni Testam.*, cap. lxxiv, et S. Augustinus in *Solitog.*, cap. xxi: « Pro tua dulcedine gustanda, inquit, veneni poculum intrepidus Joannes potavit. » Idem testatur Aldhelmus, Occidentalium Saxonum episcopus, lib. *De Laudibus virgin.*, cap. XI. Unde et in festo S. Joannis solent fieri benedictio vini contra venenum, uti testatur Albertus Castellanus in *Sacerdotali Romano*.

Nota: Græca hic et *Marc.*, cap. x, 38, addunt: « Aut baptismum quo ego baptizor, baptizari? » Arabicus hic: *et tinctura qua tingar, tingemini?* hæc tinctura fuit sanguinis, qua purpuratus est Christus. Ubi Christus suam passionem quam prius vocavit calicem, alia metaphora vocat baptismum, quia in illam totus immersus et submersus, id est, mortuus est. Hoc enim proprie est baptizari. Adjuvat Origenes, Chrysostomus, Theophylactus, Christum passionem suam vocasse Bap-

mun, eo quod nos per illam abluerit, purificavit et sanctificavit, ut fit in Baptismo.

DICUNT ET : Possimus. — Videntur Joannes et Jacobus in ellexisse significationem calicis, scilicet per illam intelligi passionem, et tamen uti ambrosiose petierunt primatum, ita temere respondent se calicem hunc esse bibere, cum revera id nequid possent, sed postea potuerint per gratiam Christi receptam a Spiritu Sancto in Pentecoste. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Jansenius et alii; licet Maldonatus: Possimus, ait, id est volumus, et parati sumus pro te mortem oppetere, idque satis est appositum et probabile. Sic posse subinde sumitur pro *velle*, praesertim ubi res est ardua, quae magno voluntatis conatu et robore indiget. Unde illud, cap. XIX, 12: « Qui potest (id est qui vult) capere, capiat » consilium cellibatus.

23. AIT ILLIS : CALICEM QUIDEM MEUM EBIBITIS (Addit Graeca *Fit baptismo, quo ego baptizor, baptizabimini*; et Arabicus: *et tinctura mea tingemini*), **SEDERE AUTEM AD DEXTERAM MEAM, VEL SINISTRAM, NON EST MEUM DARE VOBIS, SED QUIBUS PARATUM EST A PATRE MEO.** — Est hoc oraculum Christi de Jacobi et Joannis passione et martyrio. S. Jacobus enim ferventius ceteris Apostolis praedicans Christum, primus pro eo martyr occubuit, gladio percussus ab Herode, *Actor. XII.* Joannes item hunc calicem bibit, cum Rome ante portam Latinam a Domitiano in dolium ferventis olei immisus, vegetior inde exivit, et novo virtutis miraculo martyr in vita, non moriens, sed vivens extitit, indeque ad suscipiendam coronam Christi athleta processit, ait S. Hieronymus. Et Tertullianus, lib. *De Præscript.*, cap. XXXVI: « Habes, inquit, Romam, unde nobis quoque auctoritas presto est. Statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt; ubi Petrus passioni Dominicae adequatur, ubi Paulus Joannis exitu coronatur, ubi Apostolus Joannes posteaquam in oleum igneum demersus nihil passus, in insulam relegatur. »

Rursus S. Joannem proprie bibisse calicem veneni (unde et cum calice hoc pingi solet) sibi ab impiis propinatam, sed sine noxa, docet non tantum Prochorus ejus discipulus, in Joannis Vita (cujus fides merito Baronio et viris doctis de fitione est suspecta), sed etiam S. Isidorus in lib. *De Patribus novi Testamenti.* Denique tota Joannis vita continua fuit passio et continuum martyrium. Vixit enim ipse divitissime, post omnes Apostolos usque ad annum Domini 101, ac 68 post mortem Christi anno vita functus est, quæ sane dilatio et absentia tam longa a Christo dilecto suo, ad quem assidue suspirabat, prolixum illi æque ac B. Virginii, cui in filium in cruce a Christo datus erat, fuit martyrium.

Porro, S. Joannes singulari martyrium obiit, dum cum B. Virgine in monte Calvarie astans Christo crucifixo, vidit vitam suam, id est Chris-

tum, quem plusquam vitam suam amabat, acerbissimos crucis dolores, per tres continuas horas pati, ibique quasi lento cruciatu igne assari. Hic enim clavi et dolores medullas animam ejus penetrabant magisque cruciabant quam si ferro sectum fuisset ejus corpus; adeoque doloribus hisce fuisset examinatus, nisi Christus quasi per miraculum eum in vita servasset.

SEDERE AUTEM AD DEXTERAM MEAM, VEL SINISTRAM, NON EST MEUM DARE VOBIS. — Ariani censent hic dici hoc dare non esse Christi, sed potestatis potestatis, ac proinde Christum non esse *ipsum* Patri; sed errant. Christus enim hic ponit antithesin, non inter se et Patrem, sed inter Jacobum et Joannem ambrosiose petentes primatum in regno Christi, et eos quibus primatus hic jure debetur. Vis enim argumenti est in ipso « vobis, » quod licet non legant Graeci, Syrus et Arabicus, legunt tamen Romani et Latini, q. d. Non vobis petentibus, sed certantibus et merentibus hoc regnum debetur. Unde Remigius: « Non est meum, ait, dare vobis, id est superbis, quales vos estis, sed humilibus. » Et Beda: « Non est meum dare vobis, id est superbis: hoc enim adhuc erant; sed illis paratum est. Et vos alii estote, id est humiles, et vobis paratum est. » Rursus, non est meum dare vobis, eo modo quo vos petitis, scilicet ut detur vobis tanquam cognatis meis, qua homo sum, cum Deus illud paraverit illis, scilicet merentibus, q. d. Cælum dare non est potestatis humanae, sed divinae. Ita S. Augustinus, lib. I *De Trinit.*, cap. 1, et Abulensis, *Quest.* LXXX. Datur enim illud non persone, sed vite, ait S. Hieronymus, non ex favore, sed ex merito.

Nota: Christus non annuit expresse quod hi duo petunt, ne ceteros Apostolos quasi excludendo irritet; nec etiam abnuit, ne hos duos contristet. Ita S. Hieronymus: « Non dixit, ait: Non sedebitis, ne duos confunderet; neque etiam dixit: Sedebitis, ne ceteros irritaret; » sed omnibus ostendendo bravium, omnes ad certandum pro eo animavit. Simile est, ait Theophylactus in cap. x *Marci*, si justus rex agoni a se instituto praesidens, accedentibus cognatis et amicis, dicentibusque: Da nobis bravium et coronam, jure meritoque responderet: Non est meum vobis dare bravium, sed quibus illud paratum et decretum est, scilicet in agone certantibus et vincuntibus. Audi S. Ambrosius, lib. V *De Fide*, cap. II: « Non dixit, inquit: Non est meum dare; sed: Non est meum dare vobis: non sibi potestatem deesse asserens, sed meritum creaturis. Accipe aliter: Non est meum dare vobis, quod est, non est meum, qui veni humilitate docere; non est meum, qui veni non ministrari, sed ministrare; non est meum, qui iustitiam servo, non gratiam. Denique ad Patrem referens, addidit: Quibus paratum est, ut ostenderet Patrem quoque non petitionibus deferre

solere. sed meritis, quia Deus personarum acceptor non est. »

Porro, Christi quoque esse dare hoc regnum, patet diserte *Lucæ XXI*, 29: « Et ego dispono, inquit, vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo, et sedebitis super thronos judicantes duodecim tribus Israel. » Christus tamen hic dicit id potius esse Patris, tum quia Christus, ut homo, semper se Patri subjicit et omnia in ipsum resignat, ipsique accepta refert; tum ut honesto titulo a se repellat hosce ambrosiose primatum petentes, eosque ad Patrem amandet, ut sub eo se humiliter et verecundentur id petere; tum denique quia sicut sapientia et opera sapientiae appropriantur Filio, et opera bonitatis Spiritui Sancto, sic opera potentiae et providentiae, cujus pars est praedestinatio ad regnum colorum, appropriantur Patri.

SED QUIBUS PARATUM EST A PATRE MEO. — Arabicus: *sed qui preparavit eis, Patris mei caelestis.* Ita habet Latinus Interpres Arabicus Romæ impressus, sed perperam; vertendum enim est: *Sed quibus splendide preparavit eis Pater meus caelestis.* Arcta est hic expositio Euthymii, qui « quibus » exponens: Hoc est, inquit, DD. Petro et Paulo (1). Arcior est S. Hilarii: « Quibus, » inquit, hoc est, Moysi et Eliae: putat enim alludi ad figurantem, in qua Moyses et Elias viderunt gloriam regnantis Christi, ejusque fuere participes. Arcissima est S. Chrysostomi, qui « quibus » exponit *nullis.* Quia nemo, inquit, potest assurgere ad dexteram Christi, utpote qui solus sedet ad dexteram Dei Patris. Verum haec nimis arcta sunt: Christus enim generatim loquitur de omnibus ad regnum caeleste ejusque culmen electis. « Quibus » ergo, scilicet summe certantibus et vincuntibus: his enim a Deo paratum est, et decretum ab aeterno hoc regni culmen. Quare per dextram et sinistram non solum ut positionem in regno, quam Joannem, sed praesentiam in regno, quam Joannem et Jacobus ratione cognationis et familiaritatis cum Christo ambiebant, intelligit, q. d. Vultis primas tenere in regno meo caelesti, primas ergo hic mecum tenete in humilitate, charitate, patientia et zelo evangelizandi: majoribus enim et heroicis virtutibus major debetur gloria et primatus in caelo: qui enim primi sunt in meritis, hi primi erunt in praemiis. Simili modo abbas Athanasius raptus in caelum, audivit choros laudantium Deum, cumque vellet ad eos ingredi, audivit: « Nemo huc ingreditur ne-

gligens: abite, certate et contemnite vanitates saeculi. » Ita Joannes Moschus in *Prato Spirit.*, cap. CXXX, et S. Furseus apud Bedam, lib. III *Histor. Angl.*, cap. XIX, raptus in caelum audivit angelos et Beatos concincentes: « Ibunt de virtute in virtutem, videbunt Deum Deorum in Sion. » Proficiamus ergo de virtute in virtutem, et scandemus de gloria ad gloriam; ab angelis ad Cherubim et Seraphim, ab imo ad primum et summum regni solium.

24. ET AUDIENTES DECEM, INDIGNATI SUNT DE DUO- Vas. 24.
Mar. X.
41.
BUS FRATRIBUS. — Arabicus, *murmuraverunt contra duas fratres.* Quæres, ex quo et unde duorum fratrum petitionum audierint ceteri Apostoli? *Primo*, putant aliqui ipsos fuisse presentes, et audisse matrem petentem primas pro filiis a Christo. *Secundo*, Abulensis censet aliquem, qui praesens matrem petentem audivit, ejus petitionem mutasse Apostolis. Verum plane verisimile est matrem secreto id petisse a Christo, ne filiis verecundiam et ceteris invidiam concitaret. *Tertio*, ergo verisimiliter Franciscus Lucas: Privatim, inquit, loquebatur Christo mater cum filiis; sed Jesus illa respondit, ut ceteri et quid diceret audirent, et ex responso quid duo illi peterent, intelligerent. Cum enim sciret uno et eodem ambitionis morbo omnes ipsos laborare, voluit ipsis simul omnibus mederi, unumque responsum simul omnibus servare. Adde ipsos, cum eadem cupiditate laborarent, odoratos fuisse cupiditatem duorum. Quod enim quisque cupit et ambit, hoc alios cupere et ambire assequit: ex se enim suoque affectu ceteros melior. Et est quadam fur furem, lupus lupum, ambitiosus ambitiosum, ex habitu, vultu et gestu agnoscat.

INDIGNATI SUNT, — non tam vitio et ambitioni Jacobi et Joannis, quam quod per eam metuerent eis postponi; ambiebant enim et ipsi primas in regno Christi: sic indignantur, rixantur et ringunt canes alias amici, dum idem eos rodere satagunt, juxta illud:

Dum canis os rodit, socium quem diligit, occidit.

Et illud: « Figulus figulo invidet, et faber fabrico. » Vivum hujus rei exemplum est in Pompeio et Julio Caesare, qui sua imperii romani ambitione repubblicam et seipsum perdidit, de qua per quibus Lucanus, lib. I *Pharsal.* : Amb.
tio reas-
publicam
Romana
per
Elli.

Ne quemquam jam ferre potest, Caesare priorem, Pompeiavo parem.

Nimirum ambitio parit invidiam, invidia iram et indignationem in eum qui eundem honorem ambit, ne eum sibi praeferat. Hic verum est illud S. Job, cap. V, 2: « Parvulum occidit invidia; » ubi S. Gregorius, lib. V *Moral.*, cap. ult.: « Cum devictum, ait, cor loquens putredine corruptum, ipsa quoque exteriora indicant, quam graviter animum vesania instigat: color quippe

(1) Ita et Allioli in h. l.: « Jacobus et Joannes, ait, nullo carnalis et rudis, quamvis Petri primatum jam electi fuissent, primas tamen partes, seu sessionem ad dexteram et sinistram, in regno Christi temporali ambiebant. Quem honorem respondet Christus illis, Petro scilicet et Paulo, jam ab aeterno a suo Patre esse assignatum. »

pallore afficitur, oculi deprimuntur, mens accenditur et membra frigescent. Fit in cogitatione rabies et in dentibus stridor, etc. Et quamvis per omne vitium quod perpetratur, antiq. hostis vitium infunditur; in hac tamen nequitia, tota sua viscera serpens concutit, et imprimende malitie pestem vomit. Porro, efficax invidiæ remedium suggerit S. Basilus, hom. De Invidia: «Quid ergo faciendum, ut nane animi pestem invidiam ab initio minime patiamur, aut ab ea liberemur? Primum quidem, ut nihil rerum humanarum magnum, aut supra naturam æstimemus, non opes, non gloriam.» Et inferius: «Omnino autem, qui res humanas rationi subiecerit, et ad veram pulchritudinem laudemque se converterit, multum absterit ab eo, ut in rebus humanis quemquam putet esse felicem, vel æmulandum; et qui ita fuerit animatus, ut nihil usquam humanum admiretur, huic procul dubio dominari invidia nullo modo poterit.»

25. JESUS AUTEM VOCAVIT EOS AD SE, ET AIT: SCRIBIS, QUIA PRINCIPES GENTIUM DOMINANTUR EORUM, — id est eorum, vel eis, scilicet gentibus. Est antiphrasis. Respexit interpres hic uti et alias ad Græcum *ἐκείναι*, id est gens, quod est generis neutri.

Nota: Christus hic non culpatur, nec vetat auctoritatem et potestatem civilem vel ecclesiasticam, quam habent Principes et Episcopi, ut volunt Anabaptiste: hæc enim in omni republica ad regimen politicum est necessaria, ideoque sancita jure nature, divino et humano; sed tantum taxat ambitionem, et ex ea sequentem tyrannidem quam in suos exercere solebant.

PRINCIPES GENTIUM. — Unde Græce est *κατακυριεύουσιν αὐτοῖς*, id est *dominantur in eas*, vel contra eas; Syrus, *domini sunt eorum*; Arabicus, *dominantur eas*, id est imperiose dominantur subditis; quasi domini mancipiis; eos calcando et proterendo. Tyrannus enim, non subditorum, sed sui ipsius bono et honori in regendo consulit, adeoque subditis quasi servis abutitur; veri principes vero subditis consulunt potius quam sibi: quare magis ministri sunt reipublice quam domini, ut docet Aristoteles in *Polit.* Hinc Augustinus, rex Macedonum, consciens filium insolentius regentem subditos: «An ignores, ait, fili, regnum nostrum esse splendendam servitutem?» Ita Phitarchus in ejus Vita.

ET QUI MAGIS SUNT, POTESTATEM EXERCENT IN EOS, — in eas scilicet gentes: Græce, *καὶ οἱ μεγαλοκατακυριεύουσιν αὐτοῖς*, id est, et magni imperiosa potestate utuntur in eas, vel, et magni auctoritatem. licenter exercent adversus illas; atque ambiciose eis imperant.

26. NON ITA ERIT INTER VOS, SED QUICUMQUE VOLUERIT INTER VOS MAJOR FIERI, SIT VESTER MINISTER; 27. ET QUI VOLUERIT INTER VOS PRIMUS ESSE, ERIT VESTER SERVUS. — Arabicus, *sit vobis minister et servus*. Vulgate consentiunt Syrus, Ægyptius, Per-

sicus et Æthiopicus. Hæc non est pœna ambientis primatum, quasi jubeat eum deifici et relegari ad ministerium, ferique omnium ministrum et servum; sed est sanctio, qua præcipit eum qui quasi major in Apostolatu, Episcopatu, Prælatu aliis præferat, modeste se gerere et humiliare, ut subditis non imperiose dominetur, sed demisse obsequatur, eorumque salutem et commodum consulat, itaque se gerat ut eorum potius videatur esse minister et servus quam dominus. Rursum hisce verbis docet Christus, non tam qua via et ratione perveniendum sit ad primatum Ecclesie, quam quomodo primus vel primas Ecclesie in ea se gerere debeat, scilicet ut omnium minimum, ac consequenter per hanc humilitatem deterret Apostolos a contraria illi ambitione primatus. Hunc esse sensum liquet, ex eo quod hoc versu sit antithesis cum præcedentibus. Opposit enim modestum, benevolum et salutarium sum regimen imperioso et tyrannico imperio Gentium. Vide S. Gregorium, II part. *Pastor.*, cap. vi, ubi pulchre docet quomodo Prælatum auctoritatem cum modestia copulare, ac contra præferentis imperio, erga obediens comitate uti debeat: «Sit, inquit, rector, bene agensibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitie erectus.»

Simul tamen his verbis ostendit Christus qua via ad cœlum ejusque culmen, ut ad dexteram et sinistram Christi sedeamus (quod ambabant Joannes et Jacobus, ceterique Apostoli), tendere debeamus, nimirum via humilitatis; qui enim hic minimi sunt et humillimi, hic maximi et celsissimi erunt in cœlo, uti docuit Christus cap. xviii, 4.

Ex hac Christi sanctione, summus Pontifex hunc titulum præfert: «Servus servorum Christi.» Hoc est quod Christi vicarius S. Petrus verbis et factis docuit Ecclesie pastores, dicens, I *epist.*, cap. v, 2: «Pascite qui in vobis est gregem Dei, etc.; neque ut dominantes in clericis, sed forma facti gregis ex animo,» ubi plura hæc de re dixi. Hæc est respublica Ecclesie, hoc regimen Christianum a Christo hic institutum, ac Gentium tyrannidi contrapositum.

Ex hoc pariter Christi instituto, S. Franciscus, S. Franciscus S. Bonaventura, cap. vi Vite ejus, prælatos sui Ordinis voluit dici Ministros et Fratres Minores, ut et verbis uleretur Evangelii, quod observare promiserat, et ex ipso nomine discernat discipuli, quod ad discendam humilitatem ad scholas humilis Christi venissent: Christus enim, humilitatis magister, ut informaret discipulos ad humilitatem perfectam, dixit: «Quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister, et quicumque voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.»

28. SICUT FILIUS HOMINIS NON VENIT MINISTRARI, SED MINISTRARE, ET DARE ANIMAM SUAM REDEMPTIONEM (Græce, *ἀποδοῦναι*, id est *lytrum* sive pretium

redemptionis) PRO MULTIS. — *g. d.* Ideam modesti regimini ecclesie meipsum accipite, qui sum princeps et fundator hierarchiæ Ecclesiasticæ: ego enim nil jubeo, quod prior ipse non fecerim. Ego quippe veniens in mundum, ita me gessi et gero, ut nolim mihi ministrari, sed velim omnibus ministrare, quasi omnium minimus et servus; imo non tantum opes et operas, sed vitam et sanguinem pro his staterim profundere, ut eos a morte, peccato, gehenna et diabolo redimam et liberem. Hæc imitentur Pontifices, Episcopi, Pastores, etc.

Exemplum rarum hujus rei dedit, et antiquatum quasi humilitatem Christi revocavit hoc ævo S. Franciscus Xaverius, qui cum a Summo Pontifice creatus esset Legatus Apostolicus per Indias, ministrum tamen nullum habere voluit, etiam si plures ei offerret regis Lusitanie procurator, urgeretque ut eos acciperet; sed ipse omnibus ministravit, tam in corporalibus ministeriis quam in spiritualibus,isque vilissimis et abjectissimis; ipse ægrotum confessiones audiebat, mœstos solabat, corporum sordes extergebat, pannos abluabat, pharmaca ministrabat, rudes et pueros catechismum docebat, quin et comitum equos curabat eisque pabulum præbebat. Cumque quidam diceret hæc indigna esse Legato Apostolico, respondit: «Nihil dignius esse humilitate et charitate Christiana, que omnibus omnia fit, ut omnes lucrifaciat, quam Christus assidue verbis et exemplis tota vita sancivit.» Quare hæc arte auctoritatem non amisit, sed auxit, cum omnes eum, ut virum sanctum et quasi novum hominem, imo Angelum e cœlo lapsum suspicerent. Lege ejus Vitam. Denique Christus Rex regum, et Dominus dominantium, ne unum quidem in terris habuit servum, sed ipse se omnium fecit servum; non enim venit ministrari, sed ministrare: et tu, o Christiane, servorum greges accumulas? Præclare S. Chrysostomus, hom. 40 in *epist. I ad Cor.*: «Paulum, inquit, audi: Necessitatibus meis, inquit, et eorum qui mecum sunt ministraverunt manus istæ,» *Act.*, xx, 34. «Ille orbis præceptor, et vir cœlis plane dignus, servare mortalibus innumerebilibus veritas non est. Tu, nisi multos post te servorum greges trahas, turpe putas: haud videns hoc esse, quod te vehementer deturpat. Huc manus contulit Deus, huc pedes, ne servis scilicet egeremus. Examina servorum quid sibi volunt?»

REDEMPTIONEM PRO MULTIS. — Non quasi Christus pro solis prædestinatis mortuus sit, ut voluere heretici, olim inde dicti Prædestiniani, ac nuper Calvinus: Christum enim pro omnibus omnino hominibus passum et mortuum esse, disertè docet S. Paulus, II *Cor.*, v, 14, et S. Joannes, I *epist.*, cap. II, vers. 2; sed «pro multis,» hoc est pro omnibus, ait Euthymius, quia omnes hi fuerunt non pauci, sed multi. Sic *ὡς* «multi» accipitur pro hominibus, hoc cap., vers. 16, et cap. xxvi, vers.

28, et Rom. v, 19, et alibi. Aut certe «pro multis,» quia, licet Christus pro omnibus mortuus sit, omnibusque media ad salutem sufficientia postulari, impenetrari et dederit, tamen fructus mortis ipsius et perfecta salutem tantum ad justos et eos qui in justitia usque ad mortem perseverant, pervenit. Ita S. Hieronymus, Jansenius, Maldonatus et alii.

Hoc humilitatis et charitatis Christi exemplum movit S. Paulinum, Nolæ episcopum, ut animam suam daret redemptionem pro multis: ut enim filium viduæ e captivitate redimeret, seipsum pro eo in servum tradidit Wandalis. Unde factum est, ut omnes suos Nolanos cives ex eadem servitute redimeret, quod proinde, ut heroicum et vere Christianum tanti Præsulis opus, miris laudibus celebrant S. Gregorius, S. Augustinus et alii passim.

29. ET EGREDIENTIUM ILLIS EX JERICHO, SECUTA VER. 29. EST UNUS TURBA MULTA: ET ECCE DUO CECI, etc. — Mar. x, 46.

Christus ex civitate Ephrem, per Jericho interjacentem, tendebat Hierosolymam, ad crucem et mortem.

Jericho ab Hierosolyma distat 130 stadiis, a Jordane vero, ubi erat Ephrem, 60 stadiis, ait Josephus, lib. V *Belli*, cap. iv. Porro, quod stadia faciunt unum milliaria Italicum, quod constat mille passibus: stadium enim continet 123 passus, que per octo multiplicata æquunt mille: tria autem milliaria Italica faciunt leucam, sive iter unius horæ: quare 130 stadia faciunt circiter septem leucas; sexaginta vero stadia faciunt duas leucas cum dimidia. Iter a Jordane ad Jericho est planum et facile, a Jericho vero usque Hierosolymam, est montosum, acclive et declive, ideoque difficile.

Jericho hebr. dicta est vel a *ירי* *tareach*, id est luna, quod formam haberet lune; vel a *ירי* *reach*, id est odor, quod ibi duntaxat nasceretur balsamum, cujus odor est suavissimus (1).

Symbolice Rabanus: «Jericho, ait, que interpretatur luna, defectum nostræ multatilitatis et mortalitatis significat, ideoque ibi inventi sunt li cœci: luna enim est cæca et tenebrosa, sicut mortalitas hæc suis umbris et cupiditativis homines excecet.» Rursus S. Gregorius, hom. 12 in *Evang.*: «Jericho, inquit, luna interpretatur: luna autem in sacro eloquio pro defectu carnis ponitur, quia dum menstruis momentis decrevit, defectum nostræ mortalitatis designat. Dum igitur conditor noster appropinquat Jericho, cæcus ad lumen redit; quia dum divinitas defectum nostræ carnis suscipit, humanum genus lumen, quod amiserat, recipit. Unde enim Deus humana patitur, inde homo ad divina sublevarur.»

(1) Posteriori etymon magis probat Dr Sepp ob rationem allatam. Regio enim Jerichuntina valle arena sita, sole puro multique JERICHO recitata, odoratos flores et arbores venustissimas ferebat, inter quas illa erant unda balsamum elicitur.

S. Franciscus Xaverius hic multus.

Jericho quantum distat a Hierosolyma.

Ver. 28. Mar. x, 46.

Mystice Origenes: « Per Jericho, ait, intelligitur mundus, in quem Christus descendit: qui autem sunt in Jericho, exire nesciunt de sapientia mundi, nisi viderint non solum Jesum excurrentem de Jericho, sed etiam discipulos ejus. Hæc ergo videntes secute sunt eum turbæ multe, mundum et mundana omnia contemnentes, ut Christo duce ascendant in Jerusalem celestem. »

30. ET ECCE DUO CÆCI. — Eadem est historia hæc cum illa quam narrat Marcus, cap. x, 46; utraque enim contigit egrediente Christo ex Jericho. Dices, Marcus unum duntaxat nominat cæcum, eumque vocat Bartimeum, id est filium Timæi. Respondet S. Augustinus, lib. II *De Consensu Evang.*, cap. LXV, duos hic cæcos exiisse, sed unum fuisse in illa civitate famosissimum; idque ex hoc satis apparet, quod et nomen ejus et patris ejus Marcus commemoravit: « Bartimeus enim, Timæi filius, ait S. Augustinus, ex aliqua magna felicitate dejectus, notissima et famosissima miserie fuit, qui non solum cæcus, verum etiam mendicus sedebat. Hinc est ergo quod ipsum solum voluit commemorare Marcus, cujus illuminatio tam claram famam huic miraculo comparavit, quam erat illius nota calamitas. » De nomine Bartimeæ dicam *Marci* cap. x, vers. 46.

Porro, hunc cæcum a Christo illuminatum, alium esse ab eo de quo agit Lucas, cap. XVIII, 35, censent S. Augustinus, Jansenius et alii, ex eo quod ille Lucæ in ingressu Jerichum, hic vero Matthæi et Marci in egressu curatus dicitur. Verum cum cætera omnia, quæ de hoc cæco narrat Lucas, consentiant cum his quæ habet hic Matthæus et Marcus, dicendum est unum eundemque fuisse hunc cæcum, qui prius in ingressu urbis petierit illuminari a Christo, verum eum ob turbam non audiret, et Christus se audire dissimularet, ut ejus fidem et spem auerent, postremum sibi se ad portam urbis, ubique a Christo egrediente rursum visum postulavit et impetravit. Ita S. Ambrosius in cap. XVIII *Lucæ*, sub finem, Dionysius Carthusianus, Maldonatus, Francisus Lucas et alii.

Allegoricè Origenes et ex eo S. Ambrosius, in cap. XVIII *Lucæ*, sub finem: « Duos cæcos, ait, possumus dicere, Judam et Israel, qui ante Christi adventum cæci fuerunt, quia non videbant verbum verum, quod erat in lege et Prophetis, tamen sedentes secus viam legis et Prophetarum, et secundum carnem tantum intelligentes, clamabant tantum ad eum qui factus est ex semine David secundum carnem. »

Rabanus vero cum S. Augustino, tract. 40 *De Verbis Domini secundum Matth.*, per duos cæcos accipit Judæos et Gentiles: utrique enim ignorabant viam salutis. S. Chrysostomus accipit solos Gentiles, quia hi partim ex Cham, partim ex Japhet prognati sunt, sicut Judæi ex Sem: hi enim tres luce filii Noë.

Tropologicè: per duos cæcos accipie duplicem cæcitatem, affectus scilicet et intellectus: cæcus enim affectus secum rapit intellectum eumque exerceat, ut judicet agendum ob cupiditatem quod vitium est per charitatem. »

Symbolicè: S. Gregorius, homil. 2 in *Evang.*: « Cæcum, inquit, est genus humanum, quod in parente primo a paradisi gaudiis expulsum, claritatem supernæ lucis ignorans, damnationis suæ tenebras patitur: sed tamen per redemptoris sui presentiam illuminatur, ut internæ lucis gaudia jam per desiderium vident, atque in via vite boni operis gressus ponat. »

Idem Gregorius, I part. *Pastor.*, cap. XI: « Cæcus est, ait, qui supernæ contemplationis lumen ignorat; qui presentis vite tenebris pressus, dum venturam lucem nequaquam diligendo conspiciit, quo gressus operis porrigat, nescit. »

SEDENTES SECUS VIAM, ADDIDERUNT QUIA (QUOD) JESUS TRANSIET, ET CLAMABERUNT DICENTES: DOMINE, MISERERE NOSTRI, FILI DAVID. — Id est, o Messia, quem ex David nasciturum prædixerunt Prophete: Messie enim est miserorum misereri, ac nominatim illuminare cæcos, uti de eo vaticinatus est Isaias, cap. XXXV, 5: « Tunc, inquit, aperientur oculi cæcorum. » Credimus te esse Messiam; Messie ergo munus nobis exhibe, nosque illumina, ut ex eo cæteri omnes te esse Messiam agnoscant, credant et colant.

31. TURBÆ AUTEM INCREPABAT EOS UT TACERENT. — « Increpabat, » religiose et amanter, ne Christum homines viles obturbarent, forte jam doctorem. Neve ejus et tanti populi iter remorarentur. Ita S. Euthymius.

Mystice: S. Gregorius, homil. 2 in *Evang.*, per turbam accipit desideriorum carnalium turbas tumultusque vitiorum, qui prius quam Jesus ad cor nostrum veniat, temptationibus suis cogitationem nostram dissipant, et voces cordis in oratione perturbant. Turbæ hæc clamore contentæ orationis superandæ sunt, uti subdit S. Gregorius.

AT ILLI MAGIS CLAMABANT DICENTES: DOMINE (SYRUS, MORAN, id est Domine noster), MISERERE NOSTRI, FILI DAVID. — « Magis clamabant, » tum quia turbæ vetatio non sopivili, sed magis accendit eorum desiderium recipiendi visus a Christo, ideoque eundem a Christo sua constantia et contentione impetrarunt; tum quia majore clamore opus erat, ut turbæ vetantis strepitum et voces superaret, itaque audirentur a Christo. Unde S. Thomas in *Catena*: « Oportebat, inquit, ut tantum clamarent, donec resistentis sibi turbæ strepitum vincerent, id est, tam perseverando, animum intenderent orando atque pulsando, quousque consuetudinem desideriorum carnalium, que tanquam turba obstrepit cognitionalium lucem veritatis æternæ videre conanti, vel ipsam hominum carnalium turbam studia spiritualia impediementem, fortissima intentione superarent. »

Tropologicè
Symbolicè

Moraliter: S. Augustinus, serm. 18 *De Verbis Domini*: « Bonus, inquit, Christiano volentes facere præcepta Dei, Christiani mali et tepidi prohibent: clamant tamen illi non deficientes; cum enim quisque Christianus cœperit bene vivere mundum, » *contemnere*, in ipsa sui novitate patitur reprehensores frigidos Christianos; sed si perseveraverit et ipsi, jam obsequantur qui ante prohibebant. » Volenti ergo servare Deo vincendum est pudor humanus, dietera et irrisiones turbam. Multos enim a pietate deterret hæc pudoris larva: Si hoc ogero, quid de me dicent homines? ero vulgi fabula. « Prima Christiani virtus est, contemnere et contenti, » ait S. Hieronymus. Cogita hominum voces et risus gratulorum esse garritus, et sic mane hoc judiciorum mundi idolum, quod plerisque percellit, conteres, imo velut ludicrum puerorum *supplimentum*, et phantasticum timidorum terrificamentum instar fumi diffilabis.

Denique S. Hieronymus: « Fides, ait, quando velatur, magis accenditur, et ideo in periculis securem est, in securitate periclitatur. »

32. ET STETIT JESUS, ET VOCAVIT EOS, ET AIT: QUID VULTIS UT FACIAM VOBIS? — « Et stetit, » Causam litteralem dat S. Hieronymus: « Ideo, ait, stetit Jesus, quia cæci, quo pergerent ignorabant: multe vocæ erant in Jericho, multe rupes et prærupta in profundum vergentia, idcirco Dominus stat, ut venire possint. »

Symbolicam dat S. Gregorius, hom. 2 in *Evang.*: « Transire, ait, humanitatis est, stare divinitatis. Cæcum igitur clamantem Dominus transiens audit, sed stans illuminavit; quia per humanitatem suam vocibus nostræ cæcitatatis compatiendo miseratus est, sed lumen nobis gratiæ per divinitatis potentiam infudit. »

Mystice Origenes: « Jesus, ait, non pertansit, sed stat, ut stante eo non transierit beneficium, sed quasi de fonte stante misericordia delluat usque ad eos. »

Anagoricè S. Augustinus, lib. I *Quæst. Evang.*, cap. VIII: « Stetit Jesus: Fides enim, inquit, incarnationis temporalis, ad æterna intelligenda nos præparat: temporalia transeunt, æterna stant. » Stetit ergo tanquam æternus et dator beato æternitatis ac lucis æternæ, in qua omnia stant et permanent in æternum.

ET VOCAVIT EOS. — « Vocari jubet, ait S. Hieronymus, ne turbæ prohibeant, et interrogat quid velint, ut ex responsione eorum manifesta debilitas appareat, et virtus ex remedio cognoscatur. »

Addit Marcus: « Et vocat cæcum dicentes ei: Animæ quior (homo et fidenti animo) esto, surge, vocat te. Qui projecto vestimento suo, exiliens venit ad eum. » In quæ verba tropologicè S. Hieronymus ibidem (in quibus est auctor; non enim videtur esse S. Hieronymus): « Exiliire, ait, nudus veteri homine dicitur, ut hianulius saliens super colles, *Cant.* II. Exiliens super montes, segnitium deponens, Patriarchas, Pro-

phetas et Apostolos in altis considerans, ad superna se extendit. »

QUI VULTIS UT FACIAM VOBIS? — « Non ignorat, sed vult audire confessionem qui noverat intentionem, » ait Glossa Interlinearis, ut vehemens sanitatis desiderium et postulationem in eis excidit, itaque capces et dignos tanti beneficii et miraculi efficiat.

Nota hic liberalitatem et liberalem oblationem Christi, qua se offert nobis ultro, ad præstandum ea que volumus et ardentur perfimus.

33. DICUNT ILLI: DOMINE, UT APERIANTUR OCULI NOSTRI. — Arabicus, ut *aperias oculos nostros*: hi enim in cæcis sunt clausi. Marcus: « Domine, ut videam. » Nihil enim homini ita naturaliter est desiderabile, ac videre; ita ut videre, vita; non videre sive cæcum esse, mors esse videatur et meror assiduus, uti testatur Tobias, cap. V, vers. 42. Audi S. Ambrosius, *De Noë et arca*, cap. VII: « Quam deformes, inquit, sunt oculi cæcorum. Et quid mirum si vultus hominis absque oculis deformis est, quando ipsum cœlum sine sole, non habet suam decorem? Tristes sine sole dies ducimus, noctes sine luna non placent. Ipsi enim sunt quidam mundi oculi. Detrahe stellarum lumina, et quedam est in cœlo ipso cæcitas deformitas. »

Quocirca S. Augustinus in hæc verba scribens, serm. 18 *De Verbis Domini secundum Matth.*: « Tota igitur vita, inquit, est sanare oculum cordis, unde videtur Deus. Ad hoc sacrosancta mysteria celebrantur, ad hoc sermo Dei prædicatur, ad hoc exhortationes Ecclesiæ morales, id est pertinentes ad corrigendos mores, ad emendandas carnales concupiscentias, ad remittendum, non vobis tantum, sed mutata vita huic sæculo, ad hoc quidquid agunt divine sanctoque litteræ, ut purgetur illud interius ab ea re que nos impedit ab aspectu Dei. »

Mystice S. Hieronymus, loco jam citato: « Unam, ait, petit a Domino, hanc requirit, ut videat voluptatem Domini, et inde videns, visitet templum ejus, » *Psal.* XXVI.

Dicit ergo homo, peccato vel concupiscentia cæcus: Da, Domine, ut videam peccati turpitudinem, concupiscentiæ vililitatem, voluptatis exilitatem, gehennæ ignis atrocitatem, virtutis plenitudinem, paradisi felicitatem, gloriæ æternitatem, ut concupiscentiam omnem desolentiam, virtutem vero suspiciam et amiam.

34. MISERERE AUTEM BORBUS JESUS, TRIGINT OCULOS EORUM, ET CONFESTIM VIDERUNT, ET SECUTI SUNT EUM. — « Considerans Jesus, ait S. Hieronymus, loco jam citato, promplant voluntatem, completionem desiderii remunerat. Unde et alias dicit: Omne quodcumque petieritis in oratione credentes, accipietis, » *Jam.* XV.

Hi cæci curati a Christo, ordine sunt quinti. Primi enim cæci illuminati a Christo, fuere duo illi de quibus agit Matthæus, II, 27. Secundus

Vers. 34.
Luc.
XVIII, 43.
Mar. II, 27.

Sessio
cvs cura
vii
Christi

fuit dæmoniacus et mutus, de quo egit Matthæus, xii, 22. Tertius fuit cæcus a Christo curatus in Bethsaida, dicens: «*Marci viii, 24. Quartus fuit cæcus ille a nativitate, quem Christus curavit, Joan. ix. Quinti fuere duo hi de quibus Matthæus hic. Sexti fuere illi qui paulo post a Christo sanati sunt in templo, Matth. xxi, 14.*

ET SECUTI SUNT EUM. — «*Illi cæci, ait S. Chrysostomus, sicut ante dationem fuere perseverantes, ita et post donationem non fuerunt ingrati.*» Bo-

num enim munus obtulerunt Christo sanati, scilicet sequelam ipsius. Hoc est enim quod Dæus a te requirit, «*solicitem te ambulare cum Deo tuo, Michææ vi, 8.*

Tropologicè: quomodo Christum sequi debeamus per mortificationem cupiditatum et cruceam, docet S. Gregorius, homil. 2 in *Evang.*, sub finem.

Addit Lucas, xviii, 43: «*Et confestim vidit, et sequebatur illum magnificans Deum, et omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo.*»

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, Christus in Dominica palmarum, quasi rex Messias asina vectus, cum triumpho Jerusalem ingreditur. Secundo, vers. 12, ejicit vendentes et ementes e templo. Tertio, vers. 19, ficulneam infrugiferam maledicendo desiccet et necat. Quarto, vers. 23, respondet Scribis expostulantibus, se hæc facere ex Dei potestate et imperio, ideoque, vers. 28, dat eis parabolam duorum filiorum: unus patri obediens, alterius inobediens, ac, vers. 33, parabolam agricolarum conducentium vineam, et occidentium heri filium, ac consequenter vineam hæredem. Utraque hæc parabola significat Ecclesiam Dei, a Judæis Christum occisuris ad Gentes transferendam.

1. Et cum appropinquassent Hierosolymis, et ventissent Bethphage, ad montem Oliveti, tunc Jesus misit duos discipulos, 2. dicens eis: *Ite in castellum quod contra vos est, et statim invenietis asinam alligatam, et pullum cum ea: solve, et adducite mihi; 3. et si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet, et confestim dimittet eos.* 4. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: 5. *Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, et pullum filium subjugalis.* 6. Euntes autem discipuli, fecerunt sicut præcepit illis Jesus. 7. Et adduxerunt asinam et pullum, et imposuerunt super eos vestimenta sua, et eum desuper sedere fecerunt. 8. Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via; alii autem cædebant ramos de arboribus, et sternebant in via; 9. turbæ autem, quæ præcedebant et quæ sequebantur, clamabant, dicentes: *Hosanna filio David: benedictus, qui venit in nomine Domini: Hosanna in altissimis!* 10. Et cum intrasset Hierosolymam, commota est universa civitas, dicens: *Quis est hic?* 11. Populi autem dicebant: *Hic est Jesus propheta a Nazareth Galilææ.* 12. Et intravit Jesus in templum Dei, et ejiciebat omnes vendentes et ementes in templo; et mensas nummulariorum et cathedras vendentium columbas evertit, 13. et dicit eis: *Scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum.* 14. Et accesserunt ad eum cæci et claudi in templo, et sanavit eos. 15. Videntes autem principes sacerdotum et Scribæ mirabilia quæ fecit, et pueros clamantes in templo, et dicentes: *Hosanna filio David, indignati sunt, 16. et dixerunt ei: Audis quid isti dicunt? Jesus autem dixit eis: Utique, nunquam legis, quia ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem?* 17. Et relictis illis, abiit foras extra civitatem in Bethaniam, ibique mansit. 18. Mane autem revertens in civitatem, esurit. 19. Et videns fici arborem unam secus viam, venit ad eam, et nihil invenit in ea nisi folia tantum, et ait illi: *Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum. Et arefacta est continuo ficulnea.* 20. Et videntes discipuli, mirati sunt, dicentes: *Quomodo continuo aruit?*

21. Respondens autem Jesus, ait eis: *Amen dico vobis, si habueritis fidem, et non habiveritis, non solum de ficulnea facietis, sed et si monti huic dixeritis: Tolle, et jacta te in mare, fiet.* 22. Et omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis. 23. Et cum venisset in templum, accesserunt ad eum docentem principes sacerdotum, et seniores populi, dicentes: *In qua potestate hæc facis? et quis tibi dedit hæc potestatem?* 24. Respondens Jesus, dixit eis: *Interrogabo vos et ego unum sermonem: quem si dixeritis mihi, et ego vobis dicam in qua potestate hæc facio.* 25. Baptismus Joannis unde erat? et cælo, an ex hominibus? At illi cogitabant inter se, dicentes: 26. *Si dixerimus: E cælo, dicit nobis: Quare ergo non credidistis illi? Si autem dixerimus: Ex hominibus, timemus turbam: omnes enim habebant Joannem sicut prophetam.* 27. Et respondentes Jesu, dixerunt: *Nescimus.* Ait illis et ipse: *Nec ego dico vobis in qua potestate hæc facio.* 28. *Quid autem vobis videtur? Homo quidam habebat duos filios, et accedens ad primum, dixit: Fili, vade hodie operare in vinea mea.* 29. Ille autem respondens, ait: *Nolo.* Postea autem, penitentia motus, abiit. 30. Accedens autem ad alterum, dixit similiter. At ille respondens, ait: *Eo, domine, et non ivit.* 31. *Quis ex duobus fecit voluntatem patris? Dicunt ei: Primus.* Dicit illis Jesus: *Amen dico vobis, quia publicani et meretrices præcedent vos in regnum Dei.* 32. *Venit enim ad vos Joannes in via justitiæ, et non credidistis ei; publicani autem et meretrices crediderunt ei; vos autem videntes nec penitentiam habuistis postea, ut crederetis ei.* 33. *Aliam parabolam audite: Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam, et sepem circumdedit ei, et fodit in ea torcular, et ædificavit turrim, et locavit eam agricolis, et peregre profectus est.* 34. *Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit servos suos ad agricolas, ut acciperent fructus ejus.* 35. *Et agricolæ, apprehensis servis ejus, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium vero lapidaverunt.* 36. *Iterum misit alios servos plures prioribus, et fecerunt illis similiter.* 37. *Novissime autem misit ad eos filium suum, dicens: Verebuntur filium meum.* 38. *Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra se: Hic est hæres, venite, occidamus eum, et habebimus hæreditatem ejus.* 39. *Et apprehensum eum ejecerunt extra vineam, et occiderunt.* 40. *Cum ergo venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis?* 41. *Aiunt illi: Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.* 42. *Dicit illis Jesus: Nunquam legis in Scripturis: Lapidem quem reprobarerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: a Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris?* 43. *Ideo dico vobis, quia auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus.* 44. *Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur; super quem vero ceciderit, conteret eum.* 45. *Et cum audissent principes sacerdotum et Pharisei parabolam ejus, cognoverunt quod de ipsis diceret.* 46. *Et querentes eum tenere, timuerunt turbas, quoniam sicut prophetam eum habebant.*

Vers. 1. 1. ET CUM APPROPINQUASSENT HIEROSOLYMIS, ET VENISSENT BETHPHAGE, AD MONTEN OLIVETI, TUNC JESUS MISIT DUOS DISCIPULOS. — **Luc. xii, 29, Mar. 21, 1.**

1. ET CUM APPROPINQUASSENT HIEROSOLYMIS, ET VENISSENT BETHPHAGE, AD MONTEN OLIVETI, TUNC JESUS MISIT DUOS DISCIPULOS. — **Luc. xii, 29, Mar. 21, 1.** Habet: «*Et cum appropinquarent Hierosolymam et Bethaniam, ad montem Olivarum, mittit duos ex discipulis.*» Lucas, cap. xii, 29: «*Cum appropinquasset ad Bethphage, et Bethaniam, etc., misit duos discipulos.*» Sed Marcus et Lucas loquuntur in genere et in confuso, quia Bethphage, Jerusalem et Bethania sibi mutuo vicinæ erant. Nam aliqui particulatim ex S. Joanne, cap. xii, vers. 1 et 12, liquet Christum præcedenti sabbato cenasse et pernoctasse in Bethania, ac se-

quenti die (quæ erat Dominica Palmarum) viciniam accessisse ad Jerusalem, scilicet ad Bethphage, et inde misisse discipulos ad adducendam asinam cum pullo: Bethphage enim erat vicinior Jerusalem. Unde ex Bethania, per Bethphage montem Oliveti et vallem Josaphat ibatur Jerusalem; nam urbi Jerusalem immediate adiacet vallis Josaphat, quam interluit torrens Cedron; post vallem sequitur mons Oliveti, post montem vicus Bethphage, et inde Bethania.

BETHPHAGE. — Hebr. idem est quod *domus oris*, seu *in ore vallis* (*Beth enim est domus; pha, os; ge, vallis*), ait Franciscus Lucas et Pagninus in